

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
15 — C
8
ROMA

TRACTATVS POLEMICVS DE ANNO IVBILAEI.

AVTHORE

P. F. DOMINICO A SANCTISS. TRINITATE CARMELITA EXCALCEATO

(Tandy)

Sacræ Theologiæ, & Controuersiarum Prælectore in Seminario Romano Missionum eiusdem Ordinis.









ROMAE, Ex Typographia Io: Petri Collignij, M.DC.L.

Superiorum permissu.





Illuſtriſs & Excellentiſs. D.

FR. HENRICO D'ESTAMPES, DE VALANCAY

SACRAE RELIG. HIEROSOL.

BALLIVIO,

Regis Chriſtianiſſimi à Secretioribus, & ad Summum Pontificem Innocentium X. Oratori Extraordinario.



I vetus hæc eſt conſuetudo, Excellentiſſime Domine, & à Chriſtianis, Religioſiſque Scriptoribus laudabiliter vſurpata, Ingeniorum ſuorum fœtus, principibus viris, de religione ac litteris bene meritis nuncupandi. Sic Theo-

philo viro Illustri, & sub Imperatoribus Romanis Magistratum Antiochiæ gerenti D. Lucas Euangelista sacram sui Euangelij, & actuum Apostolorum historiam inscripsit, sic Damaso Papæ S. Hieronymus sua in Scripturam commentaria consecrauit, sic denique Marcellinum, & Bonifacium Proreges, Volusianum, Ianuarium, & alios Consulares viros D. Augustinus plurium operum suorum vindices, atque protectores habere voluit: Nemini profectò mirum videri debet, si doctrinam Orthodoxam de Iubilæi, ac Indulgentiarum valore asserturus, libellum hūc meum Excellentiæ Tuæ nomine firmatum, authoritate munitum esse volui, quæ in hoc amplissimo orbis Theatro Regum maximi Ecclesiæ Primogeniti personam sustines & vices, in qua tot illustria vtriusque militiæ splendent Throphæa, de Christianæ, ac Catholicæ veritatis hostibus feliciter reportata; vt iam fidelium omnium intersit diuturnam tibi incolumitatem enixe postulare, quam sinceræ illorum religioni immobiliter consecrasti: Faxit Deus aliquando vt virtute Tua & consilio pax Christiana restituat nobilissimæ Militiæ Tuæ, quod Ottomanica Tyrannis occupauit. Præter hoc autem publicum, domesticum etiam & priuatum in inscribendo tibi hoc opere, consilij mei non deest argumentum, amor enim ille summus quo, hæreditario veluti iure, & auito patri-

mon.,

monio, ergà sacram Congregationem nostram, addam & meipsum benigniter es affectus, iure merito exigebat, vt primos hos ingenij mei fructus luci non committerem, nisi felicissimis Excellentiæ Tuæ auspicijs. Accipe ergo, quæso Excellentissime Domine, leue hoc quidem, sed affectu ponderosum, deuotionis meæ & obseruantiæ erga te monimentum; quod si ratione materiæ; munus enim Theologicũ est, sed rudioris formæ tuis sit meritis minus consentaneum; memineris nos versari in Anno Iubilæi quo plenissima fit omnium culparum Indulgentia, ac venia. Vale. Ex Seminario nostro Romano Ann. Iubilæi 1650.

Excellentiæ Tuæ

Addictissimus, & obsequentissimus in Christo seruus:

F. Dominicus à Sanctiss. Trinitate
Carmelita Excalceatus.

Præ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

E Melitensi nostro Sacrarum Missionum Seminario ad Romanum S. Pauli prælegendi gratia hoc anno sacri Iubilæi à Superioribus vocatus cum fuerim, temporis circumstantia, hoc est publica Anni Iubilæi celebritas facilè animo induxit meo, vt eam Theologiæ partem, quæ Polemica dicitur, deinceps illustraturus non aliunde quam ab eodem Anno Iubilæi aduersus sacrilegam Hæreticorum impietatem, ac perfidiam propugnando initium ducerem, accommodatiorique methodo fidelium instructioni ad ordinem scholasticum breuiter, ac dilucidè redigerem ea omnia, quæ in alijs dispersa, & confusa, vel etiam nimia prolixitate diffusa perlegeram, quod si fideliter à me præstitum existimes, humanissime Lector, mecum referas illi, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum: sin minus meliorem alijs auguror successum interim hæc omnia hic à me scripta iterum, atque iterum subijcio correctioni, ac iudicio S. Matris Ecclesiæ. Vale.

Librum

Librum, cui titulus de Anno Sancto &c. à Reuerendo P. F. Dominico à Sanctiss. Trinitate Carmelita excalceato Sacrę Theologiæ Prçlectore iussu R. Adm. P nostri Francisci à Sanctissimo Sacramento Congregationis nostræ Prępositi Generalis attenta mente perlegi, nihilque in eo deprehendi, quod non fidem roboret, pietatem acuat, Catholicàm doctrinam constabiliat suum Opus sapit Auctorem in sententiarum delectu in rationum robore, in rerum varietate solidum, viuidum, erud tum. Dignum, opus quod publici iuris fiat in communem omnium vtilitatem elaboratum: ita censeo in hoc nostro Carmelitico Missionum Seminario. Romę 9. Iulij 1650.

Fr. Hieronymus à S. Teresia Carmel. Discalceat.

OPus, quod inscribitur de Anno Iubilæi à R. P. Dominico à Sanctissima Trinitate Sacræ Theologiæ Prælectore compositum, ex commissione R. P. nostri Generalis perlegi: In quo non solum aliquid orthodoxæ fidei, aut sacræ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium non aduerti; Imo dum illud multiplici rerum varietate contextum, eruditione non vulgari refertum, claritate conspicuum reperio, dumque ad Indulgentiarum fructum per pœnitentiæ cultum Christianos disponit, misericordiam diuinam ita superexaltans, vt Iustitiæ partes relinquat; veram doctrinam de Iubilæo tradere, viamque securam ad lucrandas Indulgentias aperire mihi videtur. Et ideo dignum, quod in lucem prodeat & ab omnibus legatur, censeo. In cuius fidem propria manu subscripsi in nostro Conuentu Seminarij Romani die 8. Iulij 1650.

F. Melchior à Iesu in Seminario Romano
Sacræ Theologiæ Prælector.

IESVS MARIA:

F. FRANCISCVS A SANCTISS: SACRAMENTO
Præpositus Generalis Carmelitarum
Discalceatorum.

CVM Opus, cuius titulus, Tractatus Polemicus de Anno Iubilæi, à Reuerendo P. F. Dominico à Sanctissima Trinitate Congregationis nostræ Sacerdote professo compositum, duo Theologi e nostris quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt Typis mandetur, si superioribus placuerit. In quorum fidem præsentes dedimus Sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ de Scala, die sexta Iulij 1650.

Fr. Franciscus à Sanctiss. Sacramento Præp. Gen.

Locus ✝ Sigilli.

Fr. Faustus à S. Basilio Secr.

OPus, quod inſcribitur de Anno Iubilæi à R. P. Dominico à Sanctiſſima Trinitate Sacræ Theologiæ Prælectore compoſitum, ex commiſſione R. P. noſtri Generalis perlegi: In quo non ſolum aliquid orthodoxæ fidei, aut ſacræ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium non aduerti; Imo dum illud multiplici rerum varietate contextum, eruditione non vulgari refertum, claritate conſpicuum reperio, dumque ad Indulgentiarum fructum per pœnitentiæ cultum Chriſtianos diſponit, miſericordiam diuinam ita ſuperexaltans, vt Iuſtitiæ partes relinquat; veram doctrinam de Iubilæo tradere, viamque ſecuram ad lucrandas Indulgentias aperire mihi videtur. Et ideo dignum, quod in lucem prodeat & ab omnibus legatur, cenſeo. In cuius fidem propria manu ſubſcripſi in noſtro Conuentu Seminarij Romani die 8. Iulij 1650.

F. Melchior à Ieſu in Seminario Romano
Sacræ Theologiæ Prælector.

IESVS MARIA:

F. FRANCISCVS A SANCTISS. SACRAMENTO Præpositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum.

CVM Opus, cuius titulus, Tractatus Polemicus de Anno Iubilæi, à Reuerendo P. F. Dominico à Sanctissima Trinitate Congregationis nostræ Sacerdote professo compositum, duo Theologi e nostris quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt Typis mandetur, si superioribus placuerit. In quorum fidem præsentes dedimus Sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ de Scala, die sexta Iulij 1650.

Fr. Franciscus à Sanctiss. Sacramento Præp. Gen.

Locus † Sigilli.

Fr. Faustus à S. Basilio Secr.

Imprimatur. Si videbitur Reuerendiss. D. P. S. Palatij Apostolici Magistro.

Ascanius Rivaldus Vicesg.

EGo Frater Ioannes Baptista Hacquetus prouinciæ Hyberniæ Ordinis Prædicatorum S. Theologię Magister & Regens, atque Eminentiss. Principis Card. Vrsini Theologus, iussu, & ex speciali commissione Reuerendiss. P. F. Vincentij Candidi, vidi, attentè legi, præsens opusculum, cui Titulus: Tractatus Polemicus de Anno Iubilæi, Authore Adm. R. P. F. Dominico à Sanctiss. Trinitate Carmelita excalceato, S. Theologiæ in Seminario Romano sui ordinis pręlectore, in quo nil inueni, quod orthodoxæ fidei, bonis moribus, aut sacris repugnet canonibus, imò omnia consona, & suum planè authorem, virum eruditissimum redolentia, qui neruosè ad limam omnia tractat, & in omni scientiarum genere rem verè attingit. In quorum fidem his manu propria subscripsi Romæ apud S. Clementem die 8. Septembris Anno Iubilæi 1650.

F. Io. Baptista Hacquetus qui supra.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Reuerendiss. P. Fr. Vincentij Candidi Sacri Apost. Palatij Mag. Socius.

BRE-

BREVIS
TOTIVS OPERIS IDEA



Controuersia Prima.

DE nomine, & etymologia anni Iubilæi, varijsque eius acceptionibus.

Controuersia Secunda.

De natura, ac necessitate Anni Iubilæi.

Controuersia Tertia.

De origine, & antiquitate anni Iubilæi.

Controuersia Quarta.

De Ceremonijs, ac Ritibus, qui tam in principio, quam in decursu, & fine anni Iubilæi. Romæ obseruantur.

Controuersia Quinta.

De anno Iubilæi, ex parte causæ materialis considerato.

Controuersia Sexta.

De anno Iubilæi, ex parte causæ formalis.

Controuersia Septima.

De anno Iubilæi, ex parte causæ efficientis.

Controuerſia Octaua.

De anno Iubilæi, ex parte cauſæ finalis.

Controuerſia Nona.

De Præcellentia anni Iubilæi, comparatiue ad alias Indulgentias.

Controuerſia Decima.

De vtilitate, ſiue effectibus anni Iubilæi.

Controuerſia Vndecima.

De ſubiectis, ſeu perſonis ad quas Iubilæi fructus extenduntur.

Controuerſia Duodecima.

De diſpoſitionibus requiſitis ad Iubilæi fructus vtiliter à viuis percipiendos.

Controuerſia Decimatertia.

De conditionibus neceſſarijs ad eoſdem Iubilæi fructus conſequendos.

ELEN-

ELENCHVS.

CAPITVM

In vnaquaque controuersia contentorum.



Controuersia Prima.

Dè nomine, & etymologia anni Iubilæi, varijsque eius acceptionibus.

Controuersia Secunda.

De natura ac necessitate anni Iubilæi Ecclesiastici.

Controuersia Tertia.

De origine, & antiquitate Anni Iubilæi Ecclesiastici.

Controuersia Quarta.

De Ceremonijs, ac ritibus qui tam in principio quam in decursu, & fine anni Iubilæi Romæ obseruantur.

Controuersia Quinta.

De Anno Iubilæi, ex parte causæ materialis considerato.

Quæ-

Cap: 5. *Quænam pœnæ temporales dicantur fidelibus per Iubilæi concessionem remitti.*

Controuersia Sexta.

De Iubilæo, ex parte causæ formalis consideŗato.

Cap. 1. *Quod remissio pœnæ temporalis beneficio Iubilæi facta sit vera solutio.*

Cap. 2. *Quod remissio pœnæ temporalis beneficio Iubilæi facta ita sit vera solutio, vt sit etiam iuridica quædam absolutio respectu viuorum.*

Cap. 3. *Principalius esse in Iubilæo quod sit solutio quam quod sit absolutio.*

Controuersia Septima.

De Iubilæo, ex parte causæ efficientis.

Cap. 1. *Quibusnam competat authoritas concedendi Iubilæum Ecclesiasticum.*

Cap. 2. *An alius præter summum Pontificem habeat diuino iure potestatem instituendi Iubilæum.*

Cap. 3. *An alius a summo Pontifice possit aperire Portam sanctam, & quo iure.*

Cap. 4. *Quod facultas concedendi Iubilæum in summo Pontifice pertineat ad potestatem Iurisdictionis.*

Controuersia Octaua.

De Iubilæi, ex parte causæ finalis.

Cap. 1. *Quod ad concedendum Iubilæum necessaria sit aliqua causa finalis, quæ moueat summum Pontificem illum concedentem.*

Quo-

Controuersia Nona.

De præcellentia Iubilæi Ecclesiæstici comparatiui ad alias indulgentias.

Controuersia Decima.

De vtilitate, siue effectibus Anni Iubilæi.

Controuersia Vndecima.

De subiectis, seu personis ad quas Iubilæi fructus, extenduntur.

Controuersia Duodecima.

De dispositionibus requisitis ad Iubilæi fructus vtiliter à viuis percipiendos.

deuotione, æqualem eius fructum percipiant.

Controuersia Decimatertia.

De conditionibus seu operibus necessarijs ad eosdem Iubilæi fructus consequendos.

F I N I S.

TRACTATVS POLEMICVS

De Anno SANCTO, Seu de Anno IVBILAEI.

CONTROVERSIA I.

De Nomine, & Etymologia Anni IVBILAEI.

VARIISQVE EIVS ACCEPTIONIBVS

CAPVT I.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT ANNVS.





VM Annus Iubilæi ſit nomen, vel vt melius dicam, terminus quidam complexus, coaleſcens ex duabus dictionibus. Annus, & Iubilæus. Prius quam ad explicationem Anni Iubilæi deueniamus, operę pretium duxi breuiter ad notare in hoc primo Capite, quid nomine anni, deinde in ſequenti quid nomine Iubilæi poſſit intelligi, ſic facilius poſtea in tertio declaraturus, quid illis coniunctis in Eccleſia Dei ſignificetur.

Annus ergo latinè dictus, vel ab annulo, quia inſtar annuli, vt rectè Virgilius

- - - in ſe ſua per veſtigia voluitur annus

Vnde & Aegyptij annum Hieroglifice ſignificabant per Draconem in modum gyri ſuam caudam mordentem, vel à Græco, ἀνανέω, quod idem eſt, quod renouo. Semper enim, & continuo fluens renouatur; vel tandem ab Am quod circum ſignifi-

cat, & ἕω, id est fluo, quod assidue circumfluat Græce ἔνος & ἔτος. Hebraice שנה Scanach, à radice שנא Shana, iterauit, rediit, propter assiduam illius reuolutionem, nihil est aliud, quam determinata quædam pars, vel species temporis, qua numeratur motus alicuius corporis Cælestis, verbi gratia Solaris, & Lunaris, vel vtriusque simul secundum prius, & posterius. Sic triplex in vniuersum distingui potest annus, Solaris, Lunaris, & mixtus, hoc est Solis, & Lunæ motibus accomodatus.

Annus Solaris duplex est, Astronomicus, & ciuilis. Reditus enim Solis in Zodiaco motu proprio ad idem punctum secundum γνῶσιν consideratus ab Astronomis, annus astronomicus dicitur, & Naturalis, & vertens. At vero consideratus à Politicis secundum πρᾶξιν, ciuilis. Annus Solaris Astronomicus rursus diuiditur in Tropicum, & sydereum. Sydereus est ille, quo sol proprio motu totum Zodiacum percurrit ab occasu in ortum, donec iterum coniungatur cum aliqua stella verbi gratia Canicula, a qua prius recesserat; quod fit spatio dierum 365. hor. 6. min. 9.

Astronomicus autem est spatium illud temporis similiter, quo sol proprio motu emensus totam Zodiaci longitudinem, ad idem solstitium, in primo gradu Cancri, aut in primo gradu Capricorni, vnde etiam annus solstitialis; vel æquinoctium, redit, in primo gradu Arietis, aut in primo gradu Libræ, vnde etiam annus Aequinoctialis nonnunquam appellatur. Quod quidem spatium temporis iuxta obseruationes Ptolomæi, anno circiter 130. post Christum natum, præter dies 365. integros complectitur horas 6. minus parte trecentesima vnius diei, hoc est horas 5. min. 55. sec. 12. Secundum obseruationes Albategnij circa annum Domini 880. nimirum annis 750. post Ptolomæum continet dies 365. horas 5. minut. 46. sec. 24. Secundum Alphonsinas tabulas, quæ circa annum Domini 1250. ab Alphonso Hispaniarum Rege conditæ sunt, constat ex diebus 365. hor. 5. min. 49. sec. 16. Ita vt ob has diuersas Astronomorum obseruationes, annus Solaris Astronomicus, aliquando dicatur Maximus, aliquando minimus, aliquando mediocris, seu medius, cuiusmodi est Alphonsinus, cuius magnitudo media prope modum est inter Ptolomaicum, qui ex noua Nicolai Copernici obseruatione, cum ad maximam excreuerit magnitudinem, erit dierum 365. hor. 5. minut. 55. sec. 57. & inter Albategniacum, qui ex eiusdem Copernici obseruatione cum maxime decreuerit, erit dierum 365. hor. 5. minut. 42. sec. 55. tert. 7. Et ob has etiam diuer-

sas

sas fractiones, annique astronomici supputationes non semper ab eodem momento eiusdem diei incipit, sed modo à meridie, modo ab occasu solis, modo à media nocte, modo a solis ortu, & modo denique ab aliquo alio diei momento initium ducit. Vnde licet hic annus sit distinguendis anni tempestatibus, atque adeo agriculturæ, nauigationis, medicinæque præceptis obseruandis accomodatissimus, nullo tamen modo poteſt ad communem populi vsum esse idoneus, aut aptus ad mercimonia, aut commercia, aliaque ciuilia negotia peragenda, vel ad dies festos colendos, sacrasque Ecclesiæ ceremonias rite obeundas,

Quam ob causam Ciuilis annus his præcipue finibus, ac vsibus destinatus ex diebus tantum integris constat modo ex 365. & appellatur communis, modo ex 366. & bissextilis, siue inter calaris dicitur. Neque aliter annus Ciuilis computari poteſt, quam per integros dies, neglectis horis, & horarum minutis, cum ad vsum vulgi, quod non percipit anni numerationem cum huiusmodi fragmentis, instituendus fuerit; & talis supputatio anni, neque in Calendario possit disponi.

Necessaria tamen eſt eius cognitio, vt annus Ciuilis ex diebus integris constans possit interdum æquari, modo per additionem, modo per detractionem vnius diei, qui ex omissis horis, earumque fragmentis, ac minutijs conflatur, vt cum anno Astronomico, quãtum fieri poteſt, consentiat, & Sol semper ijsdem fere temporibus anni æquinoctia, ac solſtitia conficiat.

Sic Iulius Cæsar quadraginta tribus circiter annis ante Christum natum, abrogato priùs Anno Romanorum veteri, ac defectuoso nouum instituit annum, vnde dictus Iulianus præcepitque, vt à primo die mensis Ianuarij media nocte inciperet, haberetque dies trecentos sexaginta quinque, & sex horas: quia autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt, præcepit idem Iulius Cæsar, vt quarto quoq; anno, Ciuili anno communi dierum duntaxat 365. adiungeretur vnus dies inter calaris, vt fieret dierum 366. quæ intercalatio, quia fit quarto quoque anno inter 23, & 24. diem Februarij, qui secundam antiquum computãdi modum Romanorum eſt dies sextus Calend. Martij, vocatur etiam annus bissextilis: Quare necesse eſt annum quartum, ne horæ illæ 24. negligantur, constituere dierum 366. alioquin Aequinoctia, Solſtitia, tunc vno die serius contingerent, quam in Calendario notantur, & poſt alios quatuor annos, duobus diebus tardiùs, & sic deinceps, ita vt in 120

 annis

Controuerſia Octaua.

De anno Iubilæi, ex parte cauſæ finalis.

Controuerſia Nona.

De Præcellentia anni Iubilæi, comparatiue ad alias Indulgentias.

Controuerſia Decima.

De vtilitate, ſiue effectibus anni Iubilæi.

Controuerſia Vndecima.

De ſubiectis, ſeu perſonis ad quas Iubilæi fructus extenduntur.

Controuerſia Duodecima.

De diſpoſitionibus requiſitis ad Iubilæi *fructus vtiliter à viuis percipiendos.*

Controuerſia Decimatertia.

De conditionibus neceſſarÿs ad eoſdem Iubilæi *fructus conſequendos.*

ELEN-

ELENCHVS.

CAPITVM

In vnaquaque controuerſia contentorum.



Controuersia Quarta.

De Ceremonijs, ac ritibus qui tam in principio quam in decursu, & fine anni Iubilæi Romæ obseruantur.

Controuersia Quinta.

De Anno Iubilæi, ex parte causæ materialis considerato.

Quæ-

Cap: 5. *Quanam pœnæ temporales dicantur fidelibus per Iubilæi concessionem remitti.*

Controuersia Sexta.

De Iubilæo, ex parte causæ formalis consideγato.

Cap. 1. *Quod remissio pœnæ temporalis beneficio Iubilæi facta sit vera solutio.*

Cap. 2. *Quod remissio pœnæ temporalis beneficio Iubilæi facta ita sit vera solutio, vt sit etiam iuridica quædam absolutio respectu viuorum.*

Cap. 3. *Principalius esse in* Iubilæo *quod sit solutio quam quod sit absolutio.*

Controuersia Septima:

De Iubilæo, ex parte causæ efficientis:

Cap. 1. *Quibusnam competat authoritas concedendi Iubilæum Ecclesiasticum.*

Cap. 2. *An alius præter summum* Pontificem *habeat diuino iure potestatem instituendi Iubilæum.*

Cap. 3. *An alius a summo Pontifice possit aperire Portam sanctam, & quo iure.*

Cap. 4. *Quod facultas concedendi Iubilæum in summo Pontifice pertineat ad potestatem Iurisdictionis.*

Controuersia Octaua:

De Iubilæi, ex parte causæ finalis.

Cap. 1. *Quod ad concedendum Iubilæum necessaria sit aliqua causa finalis, quæ moueat summum Pontificem illum concedentem.*

Quo-

Controuersia Nona.

De præcellentia Iubilæi Ecclesiæstici comparatiui ad alias indulgentias.

Controuersia Decima.

De vtilitate, siue effectibus Anni Iubilæi.

Controuersia Vndecima.

De subiectis, seu personis ad quas Iubilæi fructus, extenduntur.

Controuersia Duodecima.

De dispositionibus requisitis ad Iubilæi fructus vtiliter à viuis percipiendos.

deuotione, æqualem eius fructum percipiant.

Controuersia Decimatertia.

De conditionibus seu operibus necessarijs ad eosdem Iubilæi fructus consequendos.

F I N I S.

TRACTATVS
POLEMICVS

De Anno SANCTO, Seu de Anno IVBILAEI.

CONTROVERSIA I.

De Nomine, & Etymologia Anni IVBILAEI.

VARIISQVE EIVS ACCEPTIONIBVS

CAPVT I.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT ANNVS.





CVM Annus Iubilæi sit nomen, vel vt melius dicam, terminus quidam complexus, coalescens ex duabus dictionibus. Annus, & Iubilæus. Prius quam ad explicationem Anni Iubilæi deueniamus, operę pretium duxi breuiter adnotare in hoc primo Capite, quid nomine anni, deinde in sequenti quid nomine Iubilæi possit intelligi, sic facilius postea in tertio declaraturus, quid illis coniunctis in Ecclesia Dei significetur.

Annus ergo latinè dictus, vel ab annulo, quia instar annuli, vt rectè Virgilius

- - - in se sua per vestigia voluitur annus

Vnde & Aegyptij annum Hieroglifice significabant per Draconem in modum gyri suam caudam mordentem, vel à Græco, *ἀνανέω*, quod idem est, quod renouo. Semper enim, & continuo fluens renouatur; vel tandem ab Am quod circum signifi-

sas fractiones, annique astronomici supputationes non semper ab eodem momento eiusdem diei incipit, sed modo à meridie, modo ab occasu solis, modo à media nocte, modo a solis ortu, & modo denique ab aliquo alio diei momento initium ducit. Vnde licet hic annus sit distinguendis anni tempestatibus, atque adeo agriculturæ, nauigationis, medicinæque præceptis obseruandis accomodatissimus, nullo tamen modo poteſt ad communem populi vsum esse idoneus, aut aptus ad mercimonia, aut commercia, aliaque ciuilia negotia peragenda, vel ad dies festos colendos, sacrasque Ecclesiæ ceremonias rite obeundas,

Quam ob causam Ciuilis annus his præcipue finibus, ac vsibus destinatus ex diebus tantum integris constat modo ex 365. & appellatur communis, modo ex 366. & bissextilis, siue inter calaris dicitur. Neque aliter annus Ciuilis computari poteſt, quam per integros dies, neglectis horis, & horarum minutis, cum ad vsum vulgi, quod non percipit anni numerationem cum huiusmodi fragmentis, instituendus fuerit; & talis supputatio anni, neque in Calendario possit disponi.

Necessaria tamen est eius cognitio, vt annus Ciuilis ex diebus integris constans possit interdum æquari, modo per additionem, modo per detractionem vnius diei, qui ex omissis horis, earumque fragmentis, ac minutijs conflatur, vt cum anno Astronomico, quãtum fieri poteſt, consentiat, & Sol semper iisdem fere temporibus anni æquinoctia, ac solstitia conficiat.

Sic Iulius Cæsar quadraginta tribus circiter annis ante Christum natum, abrogato priùs Anno Romanorum veteri, ac defectuoso nouum instituit annum, vnde dictus Iulianus præcepitque, vt à primo die mensis Ianuarij media nocte inciperet, haberetque dies trecentos sexaginta quinque, & sex horas: quia autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt, præcepit idem Iulius Cæsar, vt quarto quoq; anno, Ciuili anno communi dierum duntaxat 365. adiungeretur vnus dies inter calaris, vt fieret dierum 366. quæ intercalatio, quia fit quarto quoque anno inter 23, & 24. diem Februarij, qui secundum antiquum computãdi modum Romanorum est dies sextus Calend. Martij, vocatur etiam annus bissextilis: Quare necesse est annum quartum, ne horæ illæ 24. negligantur, constituere dierum 366. alioquin Aequinoctia, Solstitia, tunc vno die serius contingerent, quam in Calendario notantur, & post alios quatuor annos, duobus diebus tardiùs, & sic deinceps, ita vt in 120

 annis

tis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transigerentur, quartus vero quisque centesimus Bissextilis esset: ita vt anni 1700. 1800. 1900 bissextiles non sint, anno vero 2000 more cõsueto dies Bissextus intercalaretur, Februario dies 29. continente: idemque ordo intermittendi, intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conseruaretur. De quibus omnibus vide Christophorum Clauium oper. Mathem. tom. 5.

Annus Lunaris quem ad modum de solari dictum est, etiam est duplex. Ciuilis vnus, vel politicus, Astronomicus alter. Ciuilis ex diebus integris constat, & bipartitus est, communis, atq; Embolismicus. Communis complectitur dies modo 354. modo (quod raro contingit) 353, quorum ille plenus, hic cauus seu deficiens appellari solet, atque vterque duodecim lunationes, seu menses synodicos continet. Menses enim lunares sunt in triplici differentia, periodici, synodici, & illuminationis. Periodicus est illud spatium temporis quo Zodiaci lõgitudinem Luna perlustrat proprio motu, constatque diebus 27. & horis 8. Synodicus mensis, aut coniunctionis est illud spatium temporis, quod ab vna coniunctione Lunæ cũ Sole vsque ad aliam intercurrit, cuius quantitas est dierum 29. circiter horarum 12. minut. 44. Mensis denique illuminationis, aut apparitionis est spatium illud temporis ab illo die, quo apparet, vsque ad illũ quo disparet, comprehensum, habetq; dies circiter 28. Annus autem Ciuilis Embolismicus comprehendit plerumque dies 384. interdum vero sed rarius 383. Et prior quidem plenus, posterior vero cauus eodem modo dicitur. atque vterque 13 lunationibus componitur, vndè etiam Embolismici nomen ab Embolismo, seu superadiectione vnius lunationis.

Annus lunaris Astronomicus qui præter dies integros, vt Ciuilis complectitur horas, aliquot horarumque fragmenta similiter est duplex, communis vnus, Embolismicus alter. Annus communis 12. lunationũ continet dies 354 horas 8. min. 48. sec. 58. ter. 7. qua. 36. Embolismicus vero 13. lunationum continet dies 383 hor. 21. m. 32. sec. 41. ter 18. quar. 24. Differt proindè annus Lunaris communis a Solari ferè 11. diebus, qui Epactæ dicuntur græca voce, quæ latine idem sonat, quod dies ascititij, siue addititij, aut interiecti. eo quod certis annorum periodis super additi solari lunarem æquari faciũt, lunationesque, & annos lunares Embolismales constituunt.

Qui certi annorum periodi cursui lunari vna cum solaribus annis concordando destinati possunt vocari anni mixti, cuiusmodi fuerunt

runt

6

runt anni Olympiti. Annus Metonicus à Metone Cycli decemnouenalis inuentore, alias aurei numeri; periodus Callypica annorũ 76. Quibus tamen omnibus nec exquisitè cum annis solaribus conuenient bus, nec etiam nouilunia, pleniluniaque, atque ætatem Lunæ demonstrant bus, in locum aureorum numerorum in Kalendario Romano substitutæ fuerunt à Gregorio Epactæ 30, quæ Nouilunia indicabunt in perpetuum, nulla prorsus facta earum mutatione in Kalendario, vt optimè demonstrat idem qui supra citatus Clauius tom. 5. Calend. Gregor. cap. 10.

Præter allatas iam difficiliores anni diuisiones, sunt & aliæ plures, secundumquod diuersi populi diuersimode etiam annum auspicati sunt, pro multiplicitate rerum insigniter contingentium. Hebræi enim, & alij qui cum ipsis apud Pererium lib. 1. in Genesim putant mundum in autumno conditum, anni exordium sumunt ab ipso, ita vt primus mensis sit prima Luna æquinoctio autumnali propior, qui mensis ab Hebræis, Chaldaico, vocabulo dictus est, Thisri, quæ vox Chaldaice significat initium, vt vel ipso nomine, mensis hic se initium anni existimari debere satis probare videatur.

Qui vero putant verno tempore mundũ fuisse creatum, a vere xij. Kalend. Aprilis hoc est 21. Martij anni sui initium fecere. de quo vide Io: Lab... aantium. Græci computant a prima Olympiade, Romani ab Vrbe condita. Ecclesia Catholica inchoat annum in diuinis officijs ab Aduentu Domini Saluatoris nostri, in litteris Bullaribus, aut alijs dandis à natiuitate eius, vel etiam ab Incarnatione, id est à Conceptione Beatæ semper Virginis Mariæ, quando illa dixit, Fiat mihi secundum verbum tuum. Et sic de alijs pro beneplacito vnius cuiusq; nationis diuersimode incipientibus annis, qui omnes communi vocabulo possent vocari Emergentes. Annus enim emergens dicitur ille, in quo aliquid notabile contingit, & emergit, a quo proinde reliqui deinceps anni publica authoritate computari incipiunt, tàm in prophanis, quàm in sacris, & Ecclesiasticis rebus.

His pro opportunitate loci circa annorum diuersitatem breuiter adnotatis, ac insinuatis, nam plura fusiùs prosequi omnino esset alienum a præsenti instituto, superest, vt in sequenti capite aliqua de nomine Iubilæi attingamus.

CA-

CAPVT II.

Quid sit Iubilæus.

CVm in nominibus aliud sit plerumq; id, à quo desumuntur, seu imponuntur, aliud vero id, ad quod significandum imponuntur, vt patet in hoc nomine, lapis, dicto à lædendo pede, imposito vero ad significandam illam substantiam lapidis: Circa hoc nomen Iubilæi duo principaliter nobis consideranda occurrunt, primum etymologia, secundo ratio significata per illud.

Quod ad etymologiam spectat duodecim diuersæ circumferuntur. Prima est Rabbi Salomonis, Nicolai de Lyra, Tostati in Leuit. c.25. & aliorum existimantium nomen Iubilæi deriuari ab Hebræa dictione יבל Iobel, quæ significat cornu, vel buccinam, seu tubam e cornu arietino. יובל Iobel enim ex Pagnino in suo *Lexico est aries vnde Exodi 19. vbi dicitur*, cum autem cæperit clangere buccina, in Hebræo habetur Iobel sic quia clangore buccinæ, seu Iobel Hebraice, annus quinquagesimus annuntiabatur, modo, & tempore, sequenti capite explicando, ab huiusmodi clangore, & sonitu Iubilæus dictus est.

II. Est Iosephi lib.3.antiquit. cap.10. vbi docet Iubilæi nomen deduci ab Hebræo vocabulo, Iobal, quod interpretatur, Remissio, vel à dictione Iobeli, quæ vox significat ἐλευθερίαν, id est, libertatem; quia eo anno dabatur libertas seruis, & diuenditis agris, ac possessionibus, & ita habet Paraphrasis Chaldaica Leuit.25. vocabisque libertatem. Placet hoc Theodoreto q.35. in Leuit. Nazianzeno orat. in sanctam Pentecosten: Ruperto Abbati l.2. in Leuit. cap.41. & in Exechielem c.11. quam etiam veriorem deriuationem putat Rutilius Bensonius lib.1.de anno Iubil.cap.4.

III. Est Caietani in Leuit.cui assentitur Angelus Pientinus lib.3. de Iub.cap.4. Bellarminus lib.1.de Indulgent. cap.1. volentis Iubilæum ita appellari à nomine Hebræo יבול Iebul id est fructus, cum Iobal sit ducere, proferre,& Iebul sit ipse terræ fructus,ac germen, si quidem anno illo agrorum cultura cessabat, non arabatur, nec serebatur, nec metebatur,sed omnes Hebræi viuebant frugibus præcedentis anni 49.alias 48. terra illo anno miraculosè proferente triplo maiorem fructuum copiam, quam soleret, vt isto pacto omnes

nes

nes possent commode sustentari, vsque ad nouas fruges anni quinquagesimi primi inclusiuè.

IV. Hugo Cardinalis, & Venerabilis Beda *lib. de* Tabernaculo putāt Iobel esse initium, atque adeo Iubilæum annum vocari, quod eius initio inciperet variorum libertas, ac remissio.

V. Idem Beda Homil. de Pent. deducit hoc nomen Iubilæi iterum ex Iobel, quod tamen *aliter* ac antea interpretatur, videlicet mutatus: Iubilæus, inquit, mutatus appellari iussus est, quod serui a captiuitate in libertatem mutarentur, quod possessiones mutatione facta ad pristinos dominos redirent.

VI. Eusebius Cæsariensis in Chronicis dicit, quod cum vox, Iobel, significet quinquagenarium, idem sit annus Iubilæus, atque annus quinquagesimus. Quæ etymologia iudicio eiusdem citati Bensonij est valde germana sacro *textui numer. cap. vltimo in illis verbis*, Cum Iubilæus, *id est quinquagesimus annus*, *& Leuit.* 25. quia Iubilæus est, & quinquagesimus annus.

VII. Paulo Ioanni Pauliano apud Serrarium in Iosue cap. 13. Iobel, est magnus Dei, ideoque Iubilæus dictus, quod sit magnus Dei annus, præ cæteris dignior, & excellentior.

VIII. Andreas Masius in Iosue cap. 6. deducit hanc vocem a primo instrumentorum musicorum authore Iubal, ad hilaritatem, & Iubilationem, quod anno Iubilæi libertas, possessiones, & alia huiusmodi optatissima, & lætissima recuperarentur, lætoque buccinarum sonitu in tota Israelitarum terra idem annus indiceretur.

IX. Concentus Brugthonianus apud eundem Serrarium, vox, inquit, Iubal significat eiectionem, siue riui fluxum. Iubilæus autem non potest ab Hebræo deriuari, quod est cornu arietinum, sed per commodè à Iubal, fluxu, siue vectione, & deductione eo quod nos quasi secum vehat, & deducat ad Christi mortem.

X. Maluit alij hanc vocē Iubilæi deriuari a verbo Græco ἰὐβάλλω hoc est rustica voce inclamo, vel ab ἰὼ ἰὼ vocibus triumphantium; quia quæ anno Iubilæo fiebant, læta erant, & Iubilo digna, atque Tubarum Iubilatione, varia nimirum libertas.

XI. Ioannes Anānias in tractatu de Iubilæo, Petrus Berchorius in suo Dictionario *Stephanus* Notus, & alij deducunt a latino, Iubilo. *Cum enim omnes cantent* in anno Sancto, Iubilate Deo omnis terra, rite inquiunt Iubilæus nominatur. Est autem Iubilus ex D. August. in Psal. 80. & D. Thom. in commenta super psal. 46. gaudiū

immen-

immensum, quod lingua exprimi nequit, vultu tamen, gestu, ac voce datur intelligi.

XII. Tandem Serrarius in Iosue cap. 6. notat apud Hebræos verbum Iobal, quod in sola hiphil coniugatione legitur significare idẽ ac ducere, offerre, adducere, ab eoque deriuari quatuor nomina Primo *Iebul*, id est germen, & fructus Iud. 6. v. 4 Leuit. 26. 4. Ezech. 34. 27. Psal. 66. 6. &c. Secundo *Iubal* id est riuus Isaiæ 30. 25. Terzo Iabbeleth verruca, seu pappuba, vti vertit noster Leuit. 22. v. 22. Quarto Iobel, quod iterum sumi potest dupliciter, primo vt sit participium verbi Iobal, & tunc esset ducens cum lætitia. Secundo vt sit substantiuum, & significare videtur indicem *lætitiæ vocem*, quæ ad lætos, vel ad læta ducit, vel e læto corde ducitur, siue assa sit ea vox, siue organica. Quare conciliatis inter se sententijs ostendit ex scripturis tam verbum Iobal, quam prædicta quatuor ab eo manãtia nomina significare ductionem, & adiunctam quamdam lætitiam, siue quod idem est ducere, vel adducere, sed cum quadam gaudij, ac lætitiæ, quæ vel in eo, qui ducit, vel in eo, qui ducitur vel in vtroque sit, emphasi ac demonstratione, ita vt hæc secundum ipsum sit vera radix ac etymologia nominis Iubilæi. Nec inde sequitur pronuntiandum esse Iobelæum, non Iubilæum, primo quia omnibus, qui vel primoribus laboris græcam, Hebraicamq; linguam attigerunt, notissimum est, duas, de quarum hic permutatione controuersia solum esse potest, vocales e & i, u, & o, creberrime inter se commutari, & cum ad linguam aliam transferuntur, & etiam in eadem lingua. Si quis tamen ad huius vocis originem, ne intercidat, digitum intendendo, pronuntiare vellet, aut Iobel, aut Iobelæum, aut Iobilæum, non videretur reprehendendus. Commodius tamen ac tutius semper Ecclesiæ vsus communis sequendus est, vnde cum iam talis *consuetudo* obtinuerit, vt Iubilæus dicatur, *scientiam*, inquit Ribera lib. 5. de templo c. 24, *nobis reseruemus vsum populo relinquamus*.

Verum quidquid sit de etymologia, aut etiam ortographia huius nominis Iubilæi, quod ad primam huius capitis partem spectabat; certum est apud omnes hanc vocem significare, seu pro suo significato habere, remissionem, liberationem, libertatem, seu dimissionem quamdam generalissimam, qua apud Hebræos erat, captiuorum, seruorum, hæreditatem, ac possessionem, quæ ad priores dominos reuoluebantur. Sic colligitur apertè primo ex sacra Scriptura Exodi 23. Leuit. 25. Deuter. 15. Et ex Patribus Ambrosio t. 2.

in Ps.50. Hieronymo tom.3.epist.127. ad Fabiolam, & c.5.in Amos Prophetam, Isidoro lib.4.etymol.cap.9. & alijs pluribus, de quibus legendus est Albericus in suo Dictionario, & Hieronymus Lauretus in sua Sylua allegoriarum, vterque in vocabulo *Iubilaus*, vnde cũ Beda lib.2.de Tabernaculo t.2. Bercorius in suo Dictionario, Nauarrus, & alij volunt nomen Iubilæi non solum remissionem, sed etiam quietem, atque Iubilationem, aut lætitiam pro suo significato habere, debent intelligi de significato extrinseco, itaut quidditatiuum, & essentiale huius vocis Iubilæi significatum sit remissio extrinsecum autem, ac veluti ad illud consequens sit, quies, aut Iubilatio aliaque similia, nisi velimus dicere ipsam Iubilationem, ac terræ, & hominum quietem sub ipso remissionis nomine comprehendi, si quidem quies nihil aliud sonare, ac referre videtur quam remissionem laboris circa aliquid. Sed de his pro affectata breuitate satis.

CAPVT III.

Quid, & quotuplex sit Annus Iubilaus.

PRæsuppositis his, quæ duobus superioribus capitibus diximus, circa duplicem hanc Annus, & Iubilæus dictionem, facile intelligitur quid per hoc complexum Annus Iubilæi vniuersaliter significetur. Annus Iubilæi in tota sua latitudine nihil aliud est, quã determinatum illud temporis spatium motui proprio Solis, vel Lunæ in Zodiaco modo explicato in primo capite accommodatum, in quo fiunt aliquæ remissiones, immunitates, exemptiones, elargitiones, condonationes, aliæque similes gratiæ.

Modò ergo tot in vniuersum à principio creationis mũdi annorum Iubilæi species, aut acceptationes distinguere possumus, quot ab illo fuerunt talia diuersa remissionum, & condonationum tempora. Quatuor autem reperio. Primum, atque adeo prima anni Iubilæi species fuit quando Dominus Moysi, & filijs Israel (in memoriam illius maximi beneficij, quo populum Israeliticum à terra seruitutis Aegypti in terra Chananilidem, seu promissionis induxit) præcepit, vt legitur Leuit.25. vt cum terram promissam essent ingressi, duo obseruarent præcepta, primum de Sabbatho, id est de septimo anno celebrando. Secundum, quod annum quinquagesimum

mum

mum ab egressu filiorum Israel ex Aegypto computandum sanctificarent, itaut quicumque annus, qui primus septem annorum hebdomadas, quæ simul iunctæ quadraginta nouem annos producunt, insequeretur, hoc est, quinquagesimus, filijs Israel celeberrimus esset,& ex tunc de quinguagesimo in quinquagesimum obseruaretur, & ob maximas, ac amplissimas in eo remissiones, ac dimissiones faciendas Iubilæus vocaretur.

Circa hanc primam anni Iubilæi speciem quatuor præcipuè solét ab interpretibus sacris disputari, hic breuiter à nobis insinuanda. Primo, de tempore institutionis, seu incæptionis anni Iubilæi. Secundo, de publicatione ipsius. Tertio de effectibus. Quarto an re vera fuerit annus quinquagesimus, vel solum quadragesimus nonus.

Quod spectat ad primum videntur nonnulli à prima mundi conditione ipsum ordiri, communis tamen sententia est solum incæpisse tam Sabbaticorum, quam Iubilæorum annorum obseruationem, ac dinumerationem a tempore, quo terra a Iosue Hebræis est diuisa per sortem, quod accidit anno ab exitu Aegypti 47. a creatione mundi bis millesimo quingentesimo; idque ex communi scriptorũ consensu, excepto Abulensi contrarium sentiente, non vere,sed autumno, hoc est septimo eiusdem anni 2500 mense, qui est mensis Tisri die decima, secundum alios prima. de qua re vide Caietanum in cap.25. Leuit. Burgensem, Pererium in Genesim Serrarium in Iosue cap.13. Cornelium a Lapide loco citato Leuitici Torniellum, & Salianum tom.1.& 2.annalium veteris testamenti.

Circa secundum, proclamationem videlicet, seu publicationem anni Iubilæi duplex est opinio. Abulensis enim Leuitici 28. q.8. credit fuisse in anno, qui ante Iubilæum decurreret. At Serrarius, & Salianus locis citatis, alijque plures existimant fuisse in ipso Iubilæi anno, eodemque mense septimo, die prima, vel decima: etsi enim prædictus mensis Tisri in Iubilęo anno sit quidem septimus, respectù *Nisan*, vnde aliquando anni principium ducitur, est tamen primus respectu Iubilæi, & est Septembris illius anni, qui à *Nisan*, aut *Ianuario*, ante Iubilæi Nisanem aut Ianuarium incipiebat, Sicq; ruit quod obijcit Abulensis Serum nimis futurum Iubilæi clangorem, cum eius anni transijssent iam menses solidi sex, Hanc autem anni Iubilæi solemnitatem. Buccinarum clangore indictam fuisse, id apertis verbis diuina testante scriptura consentiunt omnes Interpretes, solum est controuersia inter ipsos de qualitate hu-

iusmodi buccinarum, contendente Abulensi loco citato fuisse argenteas, Isidoro, Aereas, vt Masius in Iosue, Augustinus Eugubinus num.vlt. Ribera lib.5.de templo Serrarius,& alij malunt fuisse corneas. *Sed an ex arietino, an e bubulo cornu?* Bubulum volunt Masius, & Ribera; arietinum citati alij. quod Serrarius cap.6. multis probat.

Quantum ad tertium, Iubilæi effectus, ac priuilegia solent fusius expendi a Sacris expositoribus Leuit.cap.25. vide Caietanum, Lorinum, Corneliuma Lapide, & alios.

Vltimo tandem, an ipse septimus hebdomadarum annuarum septem annus idest, ipse quadragesimus nonus fuerit Iubilæus, an vero qui illum sequitur, quinquagesimus. triplex est opinio Prima, esse quadragesimum nonum, ita Hugo Cardinalis Leuit.25. alijque plures a Serrario citati. Secunda opinio esse ipsum annum quinquagesimum. Tertia Lyrani eodem cap.25. Leuitici existimantis vtramque opinionem esse probabilem, sed sane secunda & authorum, & rationum plurium, ac meliorum robore tutior esse videtur, pro qua vide Serrarium in Iosue cap.13. & Salianum tom.2. Annal. veteris testam.ad annum mundi 2544.

Secundum remissionis tempus, seu secunda anni Iubilæi species fuit ipsemet annus passionis, & mortis Christi Domini, qua à potestate Sathanæ per proprium sanguinem nos redemit, & a seruitute, iugoque peccati misericorditer ereptis restituit nobis hæreditatem immarcescibilem, incontaminatam, & conseruatam.

Huiusmodi Redemptio est vere Iubilæus, id est remissio, & liberatio generis humani a peccatis facta, non corruptibilibus auro, vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi. De hac Isaias iuxta Sāctorum explicatorū prophetauit dicens c.61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarē captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro.* vide D.Ambros. l.4.comment.in Lucam, D.Hieron.citato Isaiæ loco, & alios.

Et si enim tota vita Christi, qua secundum carnem in terris cum hominibus conuersatus est, annus remissionis, & Iubilæi nuncupari possit quatenus Christus officio Redemptoris functus est omnibus operationibus, quas in vita gessit humanis, & aliqua ratione liberis dicente Apostolo ad Hebræos 10, quod ingrediens Christus in mundum orationem illam Ps.39. vsurpauerit, *oblationem, & ho-*

stiam

stiam noluisti, corpus autem aptasti mihi? holocausta, & pro peccato non placuerunt tibi tunc dixi ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, quibus verbis indicari videtur iam inde ab ingressu suo in hunc mundum cœpisse Christum exequi voluntatem sui patris, in adimplenda, & operanda redemptione nostra, ad quam sacrificia veteris legis non sufficiebant. Ita tamen hoc intelligendum est, vt quãuis singulis suis operationibus potuisset Christus sufficientissimè perficere absolutissimam Redemptionem, noluerit tamen eam absoluere, nisi omnibus simul, & maxime quidem oblatione illa sui ortu ex perfectissima charitate, & obedientia ad mortem in cruce, ex qua veluti pereni quodam fonte omnia gratiarum fluenta erumperent.

Hinc Apostolus ad Colossenses 2. per mortem ait Christum deleuisse chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & affixisse cruci, quia ibi videlicet dissolutum fuit humani generis debitum. Hinc scriptura passim redemptionem adscribit morti, & sanguini Christi effuso. Hinc denique ipse Christus Seruator noster Ioan. 17. in oratione ad Patrem, opus inquit, *consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem*, vbi consummasse se, id est, iam iam (cum morti vicinus esset) consummaturum se fuisse, redemptionis opus dicit (proxime enim accingendus habetur pro accincto) quod contingit iuxta Kalendarium Romanum anno creationis mundi quinquies millesimo ducentesimo trigesimo tertio anno, & mense tertio, quando in cruce positus, dicto *consummatum est* clamatoque subinde voce magna, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, inclinato capite tradidit spiritum.

Tertia species remissionis & Iubilæi, est Iubilæus Ecclesiasticus, quo vtitur Ecclesia Catholica, speciali quadam ratione in anno sancto, quo Summi Pontifices Romani, soli veri, ac legitimi successores Sancti Petri, ac Vicarij Christi in terris, plenissimam remissionem totius pœnæ non quidem æternæ, sed temporalis, peccatis iam condonatis debitæ, non vi Sacramenti, sed thesauri Ecclesiastici Apostolica benedictione indulgent, his, qui præscriptas Basilicas confessi, & contriti personaliter visitauerint. Et de hac specie Iubilæi loquũtur Constitutiones, & Bullæ Summorum Pontificum cum pro tempore anni Sancti Iubilæum indicunt, vt est illa Bonifacij VIII. quæ incipit Antiquorum, Clementis VI, in extrauag. 2. Vnigenitus. Vrbani VI. Nicolai V. Pauli II. Et tandem illa Sanctissimi Domini Nostri Innocentij X. hoc anno 1650. Pontificatus sui 6. quæ incipit

Sunt

Sunt tandem qui pro quarta anni Iubilæi specie assignent æternum illum Iubilæum, ac Sabbathum, voce Archangeli, & in tuba Dei promulgandum, atque expleta fæliciter vitæ huius hebdomada à iustis, & sanctis celebrandum. Vnde Venerabilis Beda Homil. in die Pentecostes versus finē, *Iubilaus*, inquit, *mutatus appellari iussus est, quod Serui a captiuitate in libertatē mutarentur, quod possessiones mutatione facta ad pristinos Dominos redirent, quod deniq; canente nouissima tuba resurgent, & nos immutabimur in gloriam, & corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem.*

Hæc autem quatuor anni Iubilæi species, & acceptiones ita se habent, vt prima relata ad alias fuerit illorum figura, & vmbra in veteri testamento, quidquid in contrarium sentiat Nauarrus in cōmentarijs super ¶ in Leuitico notab. 4.

Secunda autem comparatiuè ad primam fuit veritas ipsa principaliter figurata, ac mysticè adumbrata, respectiuè autem ad tertiā & quartam se habet per modū cuiusdam causæ vniuersalis, & æquiuocæ ad suos effectus. Vnde fit, vt ratio & nomen bonitatis relatè ad Deum, & Creaturas, quę sunt veluti signa, & effectus, ac vestigia quædam bonitatis diuinæ, simpliciter dicitur de Deo, secundum quid autem de Creaturis. ita nomen, & ratio Iubilæi nō vniuoce, & æquè, verùm analogice solum de præfatis quatuor speciebus, large sumpto nomine speciei prædicatur. Iubilæus enim primo, per se, & simpliciter dicitur de sufficientissima, ac copiosissima Christi redemptione, in cuius virtute omnes aliæ totum id quod habent operantur. Iubilæus enim Hebræorum, ita fuit figura, & vmbra temporeque præcessit verum Passionis, & mortis Christi Iubilæum, vt etiam Christi mors, & passio possint quodammodo dici causa moralis, & meritoria, secundario scilicet, temporalium illarum remissionum, quæ in illo fiebant.

Iubilæus autem noster Ecclesiasticus, vt fusius in decursu huius tractatus explicabitur, nihil aliud est, quam participatio, & applicatio quædam Iubilæi à Christo cruce exhibiti, ac proclamati, a quo vim, robur, & virtutem accipit. Dispensando enim Summus Pontifex merita, & satisfactiones Christi Domini reconditas, & cōseruatas in thesauro Ecclesiæ, per illas satisfacimus Deo.

Quod quia irrident Hæretici sacrilegi rerum omnium diuinarū, ac Ecclesiasticarum cōtemptores, ideo in hoc tractatu principaliter acturi sumus de valore, & efficacia indulgentiarum Anni Sancti, seu Anni Iubilæi.

CON-

CONTROVERSIA II.

De natura, & necessitate Anni Iubilæi Ecclesiastici.

CAPVT I.

Quod per pœnitentiam non remittatur semper omnis Reatus pœnæ temporalis.



VM Indulgentia anno Iubilæi à Summis Pontificibus concessa fidelibus nihil sit aliud ex dictis, & fusius statim dicendis in hac controuersia, quàm plenissima totius pænę temporalis, peccatis iam condonatis debitę remissio, tanquam primum huius controuersiæ, totiusque tractatus fundamentum iaciendum fuit, per pænitentiam non remitti semper omnem reatum pœnæ temporalis. Sic enim facilius & de natura, & de necessitate anni Iubilæi constabit.

Igitur pro intelligentia assertionis in titulo capitis positæ notandum est, quinque peccati mortalis effectus numerari posse, corruptionem naturæ: animæ maculam, offensionem Dei, seu reatum culpæ, auersionem a Deo, & tandem pœnæ æternæ reatum. de quibus fusius Theologi ad 1.2 S.Thomæ quæst.84.

Communis sententia omnium huiusce temporis sectariorum est, nullam omnino super esse pœnam exoluendam post remissam semel peccati culpam. Ita Lutherus Assert. art.5. Caluinus lib.3. instit. cap.4.sect.25. Kemmius in exam.Conc.Trident.§.6. cap.8. alijque plures; sic purgatorij veritatem, sic Indulgentiarum valorem, sic denique operum omnium satisfactoriorum necessitatem eludere putantes.

Nihilominus perpetua semper, & ex fide constans Orthodoxorum doctorum sententia contraria est, nempe superesse post culpam remissam aliquam pœnam temporalem, pro qua sit Deo satisfaciendum. Ita enim pœna ęterna damni, & pœna æterna sensus peccato mortali iuste debitę, quod attinet ad remissionem vtriusque

que in adultis per veram pœnitentiam, inter se distinguntur, vt pœna ęterna damni per se quidem hoc ipso tota relaxetur, quod remittitur peccatum mortale secundum culpam, id est secundum illud malum priuationis gratię, & amicitiæ diuinę, atque adeo iuris ad vitam æternam, quod homini attulerat.

At pœna ęterna sensus hoc ipso quod peccatum mortale, quo ad culpam remittitur, relaxatur quidem secundum perpetuitatem durationis, vt amplius non sit in Inferno ęternaliter luenda, aut persoluenda, sed tamen non relaxatur secundum se tota simpliciter, nec satis semper ex soluitur ipsis actibus hominis, qui in iustificatione concurrunt. Neque rursus satisfactio Christi pro eiusmodi pœna hominibus applicatur, nisi per baptismum, aut per actus quosdam illorum certos, sic adimplendo ea, quæ desunt passionibus Christi, breuius vel longius, pro ratione, & grauitate peruersitatis, quæ fuit in ipsa peccati mortalis conuersione ad bonum commutabile.

Quod tamen non debet intelligi de quibusdam remissionibus extraordinarijs adeo factis, concurrentibus etiam ex parte pœnitentis intensissimis actibus contritionis, & charitatis, vt contigit in conuersione Beatæ Marię Magdalenæ, cui ex communi Theologorum consensu 3.p. q.86. art.5. dimissus fuit omnis reatus culpæ, & pœnę non solum ęternæ, sed etiam temporalis, & colligitur ex verbis Christi Luc.7. *Cui autem minus dimittitur minus diligit*. certum est enim quamcumque contritionem dummodo supernaturalis, & vera contritio sit cum actu Charitatis, remitti vniuersa peccata, quo ad culpam, pœnam ęternam, & igitur quando dicitur, *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*; non est sermo de culpa, sed de pœna, quia scilicet tanto magis remittitur, ac relaxatur de pœna, quanto maior fuerit contritio: imo & verba illa remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum, necessario sunt intelligenda non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam, cęterasq; peccatorum reliquias, vt bene post Nicolaum de Lyra ponderauit Didacus Nugno loco citato 3. partis. Siquidem ad hoc vt remittantur peccata quoad culpam, sufficit quacumque contritio simul cum dilectione Dei super omnia appretiatiue. Vt ergo illa causalis Christi Domini sit vera, & propria intelligenda est etiam quo ad pœnam. Fit enim in Euangelio virtualiter iste discursus, quacumq; vera contritione, & dilectione Dei super omnia simul cum remissione peccatorum remittitur ali-

qui

qūa pœna temporalis. ergo quando contritio est magna, remittitur tota pœna. Et ideo remittuntur Magdalenę omnia peccata quo ad reatum culpę, & quoad reatum omnis pœnę, quoniam dilexit multum. Vnde S. Thomas loco citato 3.p. ad 1. *Dicendum quod Deus totum hominem perfecte curat, sed quandoque subito, sicut socrum Petri statim restituit perfectæ sanitati, ita vt surgens ministraret illis, vt legitur Lucæ 4 quandoque autem successiue: sicut dictum est de cæco illuminato* Marci 8. *Et ita etiam spiritualiter. quandoque tanta commotione conuertit cor hominis, vt subito perfecte consequatur sanitatem spiritualem, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquijs, vt patet de Magdalena Lucæ 7. quandoque autem prius remittit culpam per gratiam operantem, & postea per gratiam cooperantem successiue tollit peccati reliquias*: hæc D. Thomas.

Igitur assertio Catholica non debet intelligi de quibusdam conuersionibus extraordinarijs & insignibus, cuiusmodi fuerunt illæ, S. Mariæ Magdalenæ, & S. Pauli Apostoli, sed solummodo de his, quæ fiunt secundum legem, ac prouidentiam Dei ordinariam, & ideo in assertione consulto non fuit dictum, non remitti absolutè per pœnitentiam omnem reatum pœnę temporalis, sed non semper, quia aliquando remittitur, scilicet in excellentissima aliqua conuersione.

Assertio sic explicata probatur primo auctoritate S. Concilij Trident. Sess. 6. cap. 14. & Sess. 14 c. 12. vbi sic definitur, & aperte colligitur ex innumeris veteris testamenti authoritatibus, & locis, vbi legimus quosdam post obtentam remissionem culpæ, atque adeo post reconciliationem cum Deo factam, fuisse diuinitus, ob quædam genera peccatorum temporali pœna punitos, non tantum causa cuiusdam cautelæ, & medicinæ, vt scilicet ea ratione haberent pij, ac iusti homines, vnde patientiam, & reliquas virtutes exercerent, vt volunt sectarij, sed etiam reuera in vindictam peccatorum, quæ essent iam remissa, & condonata.

Primum exemplum habetur Genes. 3. vbi ipsi Adamo, de quo dubium non est, quin aliquando tandem reconciliatus fuerit per gratiam cum Deo ex Sapien. 10. propter illius tamen peccatum, *comminatus est ita Deus*: *quia audisti vocem* vxoris tuæ maledicta terra in opere tuo &c. quam pœnam maledictionis, post obtentam etiam remissionem culpæ, atque adeo post reconciliationem cum Deo factam, pertulit. Item exodi 32. postquam Deus po-

C pulo

pulo Israelitico, tum propter eius pœnitētiam, tum propter Moysis intercessionem, peccatum Idololatriæ misericorditer remisisset nihilominus ait. *Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum*. Item 2. Reg. c. 12. Dauid post impetratam veniam adulterij, & homicidij punitus est morte filij; non solum in admonitionem cauendi de cætero, sed etiam in quamdam commissi antea sceleris vindictam, condonata licet æterna pœna, vt D. August. lib. 22. contra Faustum c. 67. præclare ostendit, scripturaque ipsa, dum loco citato 2. Reg. causam referens mortis filij Dauid non ait, vt caueas in futurum, sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur. Item 2. Reg. cap. 24. eidem Dauidi iam pœnitenti de peccato ambitionis circa numerationem populi admisso datur illi optio, vt eligat in pœnam peccati bellum, famem, aut pestem. Et sic de alijs exemplis. Et si enim non semper post peccatum dimissum ordinarie, & communiter solitus sit Deus infligere pœnas temporales ijs, qui peccauerunt; tamen ex illis extraordinarijs iam allatis punitionibus, alijsque similibus recte concluditur, aliquam temporalem pœnam, ex certa, & ordinaria Dei lege omnibus esse constitutam, ad cuius redemptionem eiusmodi temporales pœnę infligi in hac vita sint solitę.

Quia autem posset aliquis putare, & dicere ad hac illustria veteris Testamenti exempla aliam oportere rationem esse temporibus noui Testamenti, seu gratiæ, quibus homines dicuntur cumulatissime per Christum redempti. probandum nobis est eiusdem noui Testamenti authoritate, homines etiam in illo, post remissam culpam, pœnę adhuc temporali subiacere, imo maiori quodammodo, quam in veteri lege. Etenim si ad ipsa peccata respiciamus; similiter in his peccatis, quę committuntur à Christianis, est peruersa ad Creaturam aliquam conuersio, quę nimirum punitur pœna sensus, vel æterna, si culpę remissio non obtineatur, vel temporali post illam obtentam. Deinde accedit maior quędam ingratitudo in eiusmodi Christianorum peccatis, vt qui post accepta diuinitus vberiora diuinę gratię dona ac beneficia, nihilominus diuinam Maiestatem offendunt: ratione cuius, vt, etiam ratiocinatur D. Paulus ad Heb. cap. 10. grauiori quadam pœna digni videntur Christiani, adimpleto iam redemptionis nostrę mysterio, quod tempore veteris Testamenti solummodo erat futurum. Sic D. Paulus 1. Corinth. 11. Scribit multos eorum, qui

indignę

indignè communicabant Sacramento corporis Domini, in pœnam peccati morte punitos fuisse, cum ait. *Ideo inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi*, quos tamen ante mortem dimisso iam peccato, reconciliatos Deo fuisse, idem Apostolus monet cum addit, *à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur*. Deinde idem Apostolus 1. Corinth. 5. cum dicit cogitasse se hominem illum incæstuosum, tradere Sathanæ in interitum carnis, *vt spiritus in die Domini saluus fieret*. Certè significat aliquam pœnam temporalem voluisse se huiusmodi animaduersione redimere illi homini, vt bene ponderant Interpretes Sacri ad illum locum, & Gregorius de Valentia 12. disp. 6. quæst. 17. puncto 5.

Vnde cum in scriptura legitur, Deum cum peccata remittit, amplius eorum recordari nolle, debet intelligi de recordatione, qua is velit talia peccata punire, aut mulctare damnatione æterna. In quarum etiam sententiam scripsit Apostolus ad Rom. 8. nihil esse damnationis ijs, qui sunt in Christo Iesu. Quod autem alia quadã ratione Deus peccatorum eiusmodi recordetur, mulctando videlicet illa iam dimissa pœnis temporalibus, constat ex alijs iam allatis scripturæ testimonijs.

Nec inde sequitur copiosissimam non fuisse, ac cumulatissimam Christi Domini redemptionem, ac satisfactionem, cum ipsamet bona opera satisfactoria, quibus ab adultis reatus pœnæ temporalis, post amicitiam cum Deo recuperatam adhuc debitę, redimitur, sint effectus redemptionis Christi, gratięq; per illam obtentæ, & collatæ. Deinde sufficit ad infinitatem satisfactionis Christi Domini, quod quantum est ex se sit in adultis post peccatum mortale pęnitentibus remissiua omnis pœnæ, sicuti re vera est, quando applicatur per Sacramentum baptismi. Cæterum supposito semel quod ipsi Christo, ex voluntate etiam æterni sui Patris, ob fines in calce huius capitis assignandos, visum fuerit non solum suam, sed etiam nostram simul satisfactionem æterno Patri acceptandam offerre, vt etiam ex vi satisfactionis nostrę, debitum illud (quod ad pœnam quidem temporalem spectat) solueretur. nulla ratione dicenda est propterea insufficiens Christi Domini Redemptio, nec iniustus Deus, quod etiam satisfactionem nostram exigat. Sicut licet vnica sanguinis Christi guttula abundantissimè ad omne peccati debitum persoluẽdum potuisset sufficere, nulla tamen fuit iniustitia aliquid amplius pro eiusmodi debito accipere ab ipso Christo Domino: nempe totum etiam ipsius sanguinem in passione, ac morte effusum, vt sic

maior ipsius erga homines amor, ac dilectio appareret.

Secundo temporalem adhuc pœnam post remissum peccatum superesse exoluendam probatur ex antiquo vsu Ecclesiæ in imponendis tot grauissimis pœnis pubiice, ac solemniter pænitentibus, de quibus infra breuiter agemus, & in vnum collectę reperiuntur in pœnitentiali Romano cum notis Antonij Augustini Archiepiscopi Tarraconensis. Quod non tantum externæ cuiusdam disciplinę causa, aut in veræ pœnitentię internæ quoddam testimonium vsurpatum est, sed etiam, vt ipsi Deo illata iniuria aliquo modo compensaretur, & publicis illis satisfactionibus maximam præ se difficultatem ferentibus redimeretur pœna peccatis debita; vt docent omnes Patres statim citandi quorum testimonijs Kemnitius, alijque sectarij nihil aliud habent quod respondeant, quam eiusmodi sententias excidisse illis Patribus inconsiderate, & hyperbolice magis, quam vere: propterea quod cum illorum hæresi non consentiunt.

Tertio probatur ex communi Sanctorum Patrum consensu. Ambrosij in Enarratione Psalm. 37. Hieronymi lib. ad Virginem lapsam cap. 8. *grande scelus grandi indigere satisfactione*. Augustini tract. 124. in Ioan. & lib. 2. de peccat. meritis cap. 34. in Enchiridione cap. 7. Deum propitiandum esse per Eleemosinas 50. cap. 11. de Ciuit. Dei lib. 13. cap. 6. Et cum sit mors peccati retributio aliquando impetrat Hieronymi in cap. 6. Osee. Chrisostomi Homil. 22. ad populum Antioch. & Hom. 3. de Lazaro & Homil. de pœnitentia, & confessione Basilij concione 1. de Ieiunio, aliorumque plurium a Gratiano citatorum in decret. de pænit. distinct. 1. & à Cardinali Bellarmino controuers. tomo 3. lib. de pænitentia.

Quarto tandem, & vltimo, cum Deus absolute potuisset per quēcumque actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia remittere omnem reatum pænę, & culpę, intuitu abundantissimę, ac sufficientissimę redemptionis Christi Domini, absque vlla alia ex parte nostri satisfactione necessario requisita: Non desunt tamen rationes, & congruentiæ, quibus supposita semel Dei voluntate, ac lege de non acceptanda Christi satisfactione pro toto debito offensæ, id est quoad pænam etiam temporalem, sine vllo prorsus respectu ad satisfactionem à nobis offerendam ex meritis, ac gratia ipsius Christi, quæ lex fuit nobis per Diuinarum Scripturarum, conciliorum, & Patrum oracula promulgata, non desunt, inquam, rationes, & congruentiæ, quibus probetur id fuisse conueniens, seu maxime congruum, & decens. Pro cuius maiori luce, aliorumque in

simili

mili materia dicendorum notandum est: in operibus Dei dupliem à nobis posse distingui conuenientiam, externam vnam, internam alteram. Externam appello eam, qua aliquid dicitur conueniens pręcise ex eo, quod sit factum a Deo, cuius sola voluntas potest esse sufficiens regula omnis conuenientię, cum non possit agere nisi sapientissimè, ideo autem hæc conuenientia dicitur externa, quia desumitur per ordinem ad diuinam voluntatem, vt causam efficientem, quæ semper est externa suis effectibus, & de hac conuenientia non agitur in præsenti, nec in similibus difficultatibus, quando inquiritur vtrum sit conueniens Deum incarnari, prędestinare &c. eo enim ipso, quo Incarnatio, prędestinatio, non remissio omnis pęnę temporalis per quamcumque pænitentiam apprehenduntur tanquam aliquod opus Dei, statim intelligitur esse conuenientissimum isto primo modo.

Interna autem conuenientia ea est, qua aliquod opus faciendum, vel factum dicitur esse conueniens ob speciales aliquot rationes sibi inexistentes in ordine ad consequendum finem aliquem particularem, vocaturque conuenientia interna ad distinctionem prioris, quia tota attenditur penes ea, quæ obiecto, seu effectui producendo, vel producto insunt; & de hac agimus in præsenti, quando dicimus conueniens fuisse, quod Deus secundum prouidentiæ ordinariæ legem non remitteret omnem pænam temporalem, peccato lethali iam condonato residuè debitam, ad quod probandum quatuor faciunt sequentes rationes.

Prima desumitur ex D.Thoma 3.p. q.68. art.4. quoniam misericordia Dei ita super exaltat iudicium, vt tamen iustitiæ eius pręiudicare non debeat, nec enim solum Deus misericors, sed etiam iustus, nec sola misericordia, sed etiam iustitia est internum, ac essentiale Dei attributum, dicente Scriptura, Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, misericordiam, & iudicium cantabo tibi, iustitia, & pax osculatæ sunt. Quemadmodum ergo diuina misericordia elucet in remissione peccati, quo ad pęnam æternam sensus per infusionem gratię sanctificantis, & habitualis, quę erant pęnę debitę peccato mortali, vt est offensa infinita contra Deum, auersioque ab incommutabili bono: ita etiam diuinæ iustitię locus superesse debuit in hoc, quod homo satisfaceret pro aliquo reatu pænæ temporalis subsequentis ad peccatum mortale in quantum est inordinata quędam conuersio ad bonum commutabile, iustum est enim, vt qui voluntati suę plus indulsit, quam debuit, contra voluntalunta-



luntatem suam aliquid patiatur, vt qui abusus est Creaturis, per creaturas puniatur iuxta illud Deuter. 25. *pro mensura enim delicti, & plagarum modus erit*, & Apocalip. 18. *quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*.

Secunda ratio est, vt membra Christi mystica iam per baptismum illi coniuncta, & vnita conformarentur cum capite suo dicente Apostolo ad Rom. 8. *Nam quos praesciuit, & praedestinauit conformes fieri imagini sui filij*. Dum autem condonata iam culpa satisfaciendo parimur pro aliquo reatu pœnę temporalis residuę, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde Archam habentes, quod si compatimur, & con glorificabimur.

Tertia ratio est própria ipsius pœnitentis vtilitas, cui dum aliquid superest satisfaciendum, facilius proprijs satisfactionibus tollit reliquias peccatorum, & illis medetur: sunt autem istę reliquię, procliuitas, & inclinatio ad malũ, difficultas ad bonum. Vnde sicut in peccato duo sunt, auersio à Deo, & cõuersio ad Creaturas, ita & duplicẽ videtur Deus à nobis exigere satisfactionem: vnam quę sit ipsamet contritio, ac detestatio offensę Dei propter ipsũ summè dilectum hęcq; opponitur auersioni a Deo, estq; dispositió vltima ad receptionem gratię: alteram, quę consistat in tolerandis pœnis, & afflictionibus ad redimenda peccata, seu melius reatum peccati temporalem, vt non solum homo priuet se voluptatibus illicitis, sed etiam licitis, quę alias prohibitæ non essent; Sic ipso faciente fructus dignos pœnitentię.

Quarta est: quia bono regimini Ecclesię expedit, vt voluntarię, & iteratę pręuaricationes difficiliùs remittantur, quam primę aliterque in gratiam recipiatur qui ante baptismum per ignorantiam deliquit: aliter vero qui semel à peccati iugo, ac seruitute liberatus, acceptoque Spiritus sancti dono sciens templum Dei, quod sumus nos, violare non formidauit. Ita ergo in baptismo omnis omnino pœna vna cum culpa remitti debuit ex dispositione diuinæ prouidentię, quia in ipso, peccatis omnino commorimur, & quasi consepelimur cum Christo Rom. 8. vt tamen constituerit Deus peccata post baptismum iterato commissa, etiam postquam fuerit peccatori ipsa culpa peccati mortalis remissa, pœna aliqua temporali esse punienda. ne ita peccatis absque vlla satisfactione dimissis, occasione inde accepta, peccata leuiora putantes, veluti iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto in grauiora laberemur thesaurizantes nobis iram in die irę.

Per

Per pœnitentiam ergo non remittitur semper omnis reatus pœ
: temporalis, quę erat assertio nobis probanda, in qua conueniunt
nnes Orthodoxi, quamuis inter illos nonnulla sit controuersia,
ænam videlicet, & qualis sit illa temporalis pœna, & vbinam
:oluenda, quę luenda relinquitur contrito post culpę remissio-
:m.

Certior tamen hac de re doctrina est illa Caietani tom. 1. opuscul.
act. 4 q. 3. de contritione, vbi ait, quod pœna hęc temporalis, quę
stat exoluenda peccatori contrito, post factam iam culpę condo-
tionem, sit illamet pœna sensus, quam in Inferno pati debuisset,
incontritus remansisset, remota solum æternitatis duratione. Ita
primario quidem, & per se deberet secundum prouidentię diui-
: legem post hanc vitam persolui, nempe in Purgatorio, vbi nimi-
m pœnę non differunt à pœna sensus Inferni, nisi solum secundum
rationem, eo quod illa Inferni est æterna, in Inferno enim nulla
t redemptio, pœnę autem in Purgatorio sint temporales.

Quam doctrinam etiam tradit Ruardus Tapperus in art. 6. Lo-
niensi, & ex ipso approbat Gregor. de Valentia 1. 2. disp. 6. q. 17
ncto V. Vnde modus ille loquendi communis, secundum quem
citur, per contritionem, seu per sacramentum fieri commuta-
onem pœnæ ęternę in temporalem, non videtur proprius, & exa-
us. non enim fit vera commutatio pœnę in pœnam, sed eadem
ena sensus remanet exoluenda, separata solum ab ea ęternitatis
ircumstantia.

Cęterum sit est omnibus ex certa, & ordinaria Dei lege consti-
ta post hanc vitam luenda in Purgatorio pœna temporalis ali-
a, vt tamen redimi possit indulgentiarum concessionibus, ieiu-
js, precibus, eleemosynis, alijsque pijs, ac laboriosis operibus
uius vitę.

CAPVT II.

Affertur, & expenditur diffinitio Anni Iubilæi.

IVbilæus Ecclesiasticus de quo solum agimus in pręsenti ita ex-
plicari potest, vt sit condonatio, vel remissio plenissima totius
œnę temporalis alias debitę, ac luendę diuino Iudicio propter
eccata actualia iam ante quoad culpam sublata, ac deleta, quæ

qui-

quidem plenissima relaxatio fit extra Sacramentum ex dispensatione thesauri Ecclesiastici certo quodam tempore his, qui præscriptas Basilicas confessi, & contriti personaliter deuotè visitauerint. Quod tempus, quo hac abundantissima pœnarum remissio apud Christianos celebratur, Annus Iubilæi Ecclesiastici appellantur.

Cuius definitionis, seu potius descriptionis bonitas sic declarari potest. Illa definitio est bona, quę explicat naturam, seu genus, aut quasi genus, ac differentiam sui definiti: allata autem definitio est talis, vt apparebit discurrenti per singulas eius particulas. Primo enim dicitur, quod sit condonatio, vel remissio, in quo conuenit cum omnibus alijs remissionibus. Secundo ponitur plenissima ad distinguendam remissionem Iubilæi Ecclesiastici, ab alijs indulgentijs non plenarijs, quibus aliqua, non tamen tota remittitur pœna, vt cum dantur Indulgentię vnius anni, decem annorum, quadraginta dierum, nec iniungendis, sed solum de iniunctis Ita tamen vt Iubilęus non differat ab alijs indulgentijs plenarijs nisi secundum quid, & per accidens, aut quia per Iubilæum dari solet maior quędam potestas absoluendi à Casibus reseruatis, & commutandi vota, quam per alias indulgentias plenarias; quamuis tamen non semper id fiat, aut etiam propter cęremonias quibus annus later Iubilæus denuntiari, ac celebrari solet, vel tandem ratione durationis, & diuturnitatis, durat enim indulgentia magni Iubilæi Romę quidem per annum integrum, alijs vero locis extra Vrbem tres vt plurimum menses.

Quòd igitur ex Paludano in 4. Sentent. disp. 20. q.4. Plena indulgentia sit tantum de iniunctis pœnis pro peccatis mortalibus *plenior* de iniunctis, tam pro mortalibus quam pro venialibus: plenissima non solum de iniunctis sed etiam de iniungendis, & pro mortalibus, & pro venialibus videtur esse distinctio, & explicatio incerta. Sicut & alia quorumdam doctorum apud Bellarminum lib.4. de Indulgentijs c.9. existimantium, quod plena indulgentia sit remissio totius pœnę à Sacerdote iniunctę, plenior totius pœnę in iungendę secundum Canones Ecclesiasticos: *Plenissima*, qualis est illa Iubilęi totius pœnę iniungendę iudicio Diuino, ac in Purgatorio subeundę. Vnde illa tres voces quibus vtitur Bonifacius Octauus in extrauagant. Antiquorum de pœnitentijs, & remissionibus, cuius verba sunt: concedimus non solum plenam, largiorem, imo plenissimam omnium peccatorum veniam potius fuerunt

ab

ab ipso adhibitæ per exaggerationem, & ad maiorem indulgentię declarationem, vt ostenderet se potestatem clauium tunc applicare ad remissionem pœnę, quantum illę extendi,& applicari possent, quam ad distinguendas tres indulgentię plenarię species, quarum suprema esset Iubilæus Ecclesiasticus. Tertiò loco ponuntur in difinitione particulę, *pœna temporalis*, vt hoc pacto distinguatur beneficium Indulgentię Iubilęi, à Sacramentis per se primo institutis ad gratiam conferendam, vel primam, vel secundam atque adeo ad remittenda peccata: Iubilæus contra nullomodo gratiam confert, sed eam præsupponit iam concessam, & solas pœnas dissoluit, quæ post sublatam iam mortalem culpam remanent. Quia autem Sacramenta quoque simul cum gratię collatione non solum pœnas ęternas mutant in temporales, sed etiam aliqua ex parte remittunt easdem temporales peccatis iam condonatis debitas, ideo additum fuit Iubilęum esse relaxationem pœnę extra Sacramentum. Dicitur quarto, *Iudicio Diuino*. Siquidem Iubilęus vt fusius dicetur infra controuersia quinta cap. 5. non remittit pœnas debitas humano iudicio in foro exteriori Ecclesiastico, aut Ciuili.

Quinto tandem dicitur ex dispensatione thesauri Ecclesiastici, nã cum remissa culpa, maneat adhuc pœna temporalis diuino iudicio subeunda: & hæc remitti possit, aut in altera vita in Purgatorio, aut in hac per propriam satisfactionem, siue in Sacramento a Sacerdotibus impositam, siue vltro, ac spontaneè susceptam, aut etiam per satisfactionem alienam non modo speciali intentione applicatam, vt cum vnum Ecclesiæ membrum vult speciali, & propria intentione satisfactionem suam alteri membro communicare, sed etiam generali, & implicita per dispensationem eorum, qui in Ecclesia præsunt: Iubilæus Ecclesiasticus non est pœnę iam dictę remissiuus, nisi hoc vltimo modo, per distributionem scilicet thesauri Ecclesiæ, de quo, sicut & de eius dispensatione per ministrum legitimum, qui sufficientem habeat authoritatem, proprijs agemus controuersijs. Cæterę particulæ, *certo quodam tempore, bis, &c.* ponuntur tanquam conditiones requisitæ ad consecutionem Indulgentiarum Anni Iubilæi, de quibus etiam suo loco. Et hæc breuiter dicta sufficiant pro declaratione definitionis Iubilæi a nobis allatæ.

CAPVT III.

De necessitate Anni Iubilæi Ecclesiastici.

NOn loquimur in præsenti de necessitate simpliciter, siue sit medij, siue sit præcepti, supponimus enim tanquam certum Annum Iubilæi Ecclesiastici, tali necessitate non esse necessarium. Sed solum est sermo de necessitate secundum quid, & ad melius esse; sicque asserimus necessarium fuisse Iubilæum Ecclesiasticum.

Pœnę enim temporalis solutio est necessaria ad salutem. Sed Iubilæus Ecclesiasticus ex dictis, nihilque aliud intelligunt Catholici, est plenissima condonatio totius pęnę nō quidem æternæ, sed temporalis peccatis iam dimissis diuino iudicio debitæ. Igitur Iubilæus Ecclesiasticus iam ex hac parte, non potest non esse saltem ad melius esse necessarius omnibus Christi fidelibus.

Secundo omnibus vtile est, ac necessarium liberari ab ijs rebus, quæ retardare possunt adeptionem summi boni, at mediante Iubilæo liberamur à reatu pœnæ temporalis, cum quo si quis ex hac vita migraret, nō posset continuo pertingere ad vitam æternam, sed expiare deberet eum reatum in locis purgatorij; Ergo Iubilæus Ecclesiasticus omnibus vtilis est, ac necessarius.

Tertio Iubilæus Ecclesiasticus non solum liberat fideles ab impedimento iam dicto, sed etiam non obstat vlli bono merito, aut vlli maiori bono. neque enim prohibentur, qui suscipiunt Iubilęum Ecclesiasticum operam dare ieiunijs, eleemosinis, orationi, alijsque operibus bonis, & sanctis.

Quarto etsi perfectorum hominum non sit fugere pœnas, quæ iuuant ad promerendum Deum, & promouent ad salutem citius acquirendam, quale est martyrium, aliæque pœnę sponte susceptæ ad quas, ob imitationem Christi patientis, libenter perferendas S. Petrus adhortatur. *Christus enim passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum vt sequamur vestigia eius.* 1. Pet. 2. Est tamen perfectorum fugere debitum pœnę, si quidem per illud retardantur ab ingressu Patrię Cęlestis. Imo propterea quærunt pœnas huius vitæ, & seueram agunt pœnitentiam, vt liberentur a reatu illo & non cogantur post mortem diutius in purgatorio pœnas dare. Cum ergo Iubilæus Ecclesiasticus sit medium, quo abundantissime, ac cumu-

cumulatissime fructus passionis, ac satisfactionis Christi deriuatur ad omnes, quo ad pœnę temporalis remissionem, nulla ratio est, cur non sit dicendus vtilis, & salutaris omni hominum generi. Et quãuis viri perfecti modica satisfactione egeant, tamen rari sunt, qui non aliqua egeant, ac per hoc non sit illis etiam necessaria indulgentia Iubilæi.

Accedit quinto; quod licet indulgentia Iubilæi per se quidem non sit meritoria, sed satisfactoria, tamen illud, per quod acquiritur, est opus aliquod meritorium; Si quis enim ex charitate Dei iniuncta opera exequatur, ieiunia, eleemosynas, peregrinationes, preces, & similia sine dubio per hęc opera ex charitate facta meritum non exiguum sibi parabit. ipsa quoque Indulgentiæ Iubilæi susceptio meritoria erit, si quis eam ex amore Dei suscipiat, & in hunc finem vt expeditus omni reatu pœnę virtute Indulgentię, quatenus Christi satisfactione, ac merito innititur, liberius ad ipsũ Deum videndum, atque perpetuo laudandum euolare possit.

Sexto dato quod vtilius esset, ac tutius pro se proprijs operibus satisfacere, quam Indulgentias Iubilæi lucrando alienam veluti satisfactionem quærere, melius est tamen vtrumque medium adhibere. Et hoc est, quod boni authores consulunt, vt qui suscipiunt Indulgentiam Iubilæi, non cessent propterea à faciendis fructibus dignis pœnitentię. Bonorum enim operum exercitium etiam iustis nihil debentibus est necessarium, tum ad custodiam virtutum contra tentationes, tum ad perfectionem iustitiæ. Nam quicumq; in operibus bonis non proficit continuo exercitio, is deficit. Et qui Indulgentias suscipit hoc ipso diligentior esse debet in operibus bonis adimplendis, partim vt se gratum ostendat beneficio Indulgentiarum in anno Iubilæi acceptarum: partimque ne se doli reum cõstituat quod liberius otiandi gratia indulgentias lucretur. Imo Caietanus, & Ioseph Angles, quos citat, ac sequitur Petrus Binsfeldius in Enchiridione Theol. pastor. tract. de indulg. existimant illis, qui parum, aut nihil curant operibus pœnalibus satisfacere, & pœnam Purgatorij redimere, nihil prodesse indulgentias. Quia qui sibi non fert opem cum possit, auxilio, & ope amicorum est indignus. Ad hęc ex ærario publico non debet succurri eis, qui, cum possint de suo, æs alienum soluere, nolunt: quoniam per id daretur materia negligentiæ, & delicti cap. ex parte de consuetud. & lib. *conueniri* ff. de pact. dot. Ergo ex thesauro Ecclesię, qui ærarium publicum est, non debet solui pro negligentibus.


Verum quidquid sit de veritate huius sententiæ quam infra examinabimus controuersia 12.cap.2. certum est non esse admodum laudandos illos doctores qui scribunt, vt Isidorus Valleranus tract. de Indulgentijs, tempore sacri Iubilæi, vel alio quo Indulgentiæ plenariç conceduntur, non esse à Sacerdote pœnitentibus iniungẽdas sacramentales satisfactiones. Præter quam quod enim hoc dictum minus pium esse videtur, vsui etiam Ecclesiastico aduersatur, in ipsis enim bullis in quibus Summi Pontifices sacros Iubilæos pœnitentibus, & re ipsa confessis concedunt, admonent confessarios, vt etiam alia opera satisfactionis imponant, & saltem illa opera imponenda essent in sacramentalem satisfactionem, quç ad consecutionem Iubilæi in bulla præscribuntur.

Quia autem in Iubilæo Ecclesiastico præter dictum iam Indulgentiæ plenariæ valorem possumus & aliud considerare, vt quod Romæ ita solemniter celebretur; dico etiam hanc Anni Iubilæi celebritatem fuisse valde necessariam, ac vtilem. Dum enim Iubilęus prius peragitur, & celebratur Romę, quam in alijs mundi partibus, simulque per totum illum annum suspenduntur omnes Indulgentię plenarię alijs locis concessę, fideles Christiani hoc pacto magis stimulantur ad Romanam peregrinationem, & ad visenda, ac salutãda sacra limina Beatorum Apostolorum; quę peregrinatio, sicut & alię omnes ad sacra loca non solum non inanes, vt censent Hęretici sed vere pię, ac religiosę sunt, Christique fidelibus maxime fructuosę, prout definiuit Conc. Trid. sess. 25. in decreto de inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorum, vbi eos, qui affirmant, opis impetrandę causa, Sanctorum memorias frustra frequentare omnino damnat, prout iam pridem eos Ecclesia damnauerat, videlicet in Concilio Gangrensi, vbi Eusthychiani loca Sanctorum martyrum, & omnes, qui illuc deuotionis gratia conueniebant reprehendentes anathemate feriuntur, & in Concilio Niceno 2. & in Concilio Cabilonensi 2. tempore Caroli Magni celebrato Can. 45. vbi dicitur deuotionem illorum, qui Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum loca pœnitentię causa inuisere desiderant, collaudandam esse. Sic Hierosolimitanam, sic Romanam peregrinationem quãplures illustrissimi viri, ac mulieres agressi sunt, quos quia longum, ac extra institutum esset hic contexere sufficiat illa duntaxat Ioan. Chrisostomi authoritas homil. 32. in epist. ad Romanos. *Romam, quæ vrbium est regalissima; relictis omnibus ad Sepulchra Piscatoris, & Pellionis currunt & Reges, & Præsides, & Milites.*

Et si

Et si enim Deus sit quidem vbique, nulloque loco contineatur, vel includatur is, qui condidit omnia, à verisque adoratoribus in spiritu, & veritate oporteat illum adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet, & coronet. Attamen quoniam illi beneplacitum est, secundum suæ prouidentiæ consilium, & arcanum aliqua operari Hierosolymis, & non Romæ; aliqua Romæ, & non Hierosolymis, & alia in vno loco, & non in alio. Hinc efficitur, vt ad illam Dei potentiam magnificandam,& glorificandam,& ad gratias, quæ in quibusdam locis à Deo mortalibus conceduntur, percipiendas Christiani eo loci piè, vtiliter, ac religiosè peregrinentur. *Cur enim ex Aphrica*, inquit August. epistola ad Clerum, & populū Hipponensem, *ad Beati Fœlicis Nolensis corpus accedebant fideles, nisi ob notissimam sanctitatem loci?* Sed de his vide Iacobum Gretserum Societatis Iesu, Cardinalem Bellarminum tomo 2, controuers. lib. 3. c. 8. Rutilium Bensonium lib. 6. de anno Iubilæi.

Insuper hac solemni Iubilæi Romæ solemnitate fideles agnoscunt primatum Ecclesiæ Romanæ, & constantem, ac perpetuam cum illa vnionem profitentur, extra quam nulla potest esse salus. Vnde etiā Christiani Imperatores, Reges, Principes, & Magistratus Seculares semper Romanæ Ecclesiæ primatum agnouisse, seque eius Pontifici tanquam Patri filios subiecisse testantur innumera antiquarum historiarum monimenta apud Cocciū tom. 1. thesauri Catholici lib. 7. art. 8. Instar omnium sit S. Ludouici Regis Galliæ exemplum in documentis ante mortem suā filio Philippo scriptis, quæ extant apud Guillelmum Naugium lib. de gestis huius Sancti; *Sis deuotus*, inquit, *& obediens Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, & Summo Pontifici, tanquam Patri spirituali.*




CON-

CONTROVERSIA III.

De origine, & antiquitate Anni Iubilæi Ecclesiastici.

CAPVT I.

Quod verè sit in Ecclesia Cattholica authoritas instituendi Iubilæum Ecclesiasticum:



Xplicata iam duobus superioribus controuersijs natura, & necessitate Iubilæi Ecclesiastici, rectus ordo doctrinę petit, vt probemus modo exstare omnino in Ecclesia authoritatem, ac potestatem instituendi huiusmodi Iubilæum.

Primi qui negauerunt in Ecclesia potestatem cōferendi Ecclesiasticam indulgentiam, atque adeo instituendi Iubilæum Ecclesiasticum, qui nihil aliud est, quam plenaria quædam, ac perfectissima Indulgentia, fuerunt Vvaldenses, qui pauperes de Lugduno appellati sunt apud S. Antoninum 4. parte Summæ, tit. 9 c. 7. §. 2.

Sequutus est Vvaldenses Ioannes Vviclefus Vviclefum Hussitæ, Hussitas denique Lutherus, & Caluinus alijque impij huius temporis Sectarij, omnes vno ore blasphemantes indulgentias esse impijssimas sceleratissimorum Pontificum fraudes, & imposturas.

Perpetua nihilominus, ac constans fuit semper omnium Orthodoxorum sententia re vera Christum Dominum reliquisse Ecclesiæ potestatem concedendi Iubilæos, ac Indulgentias; illamque vti sponsam decorare voluisse hac amplissima dignitate, authoritate, ac beneficio. Quod sic probatur.

Christus Dominus concessit Ecclesiæ potestatem instituendi Iubilæum Ecclesiasticum, si dedit eidem Ecclesiæ facultatem plenissime remittendi ex dispensatione thesauri Ecclesiastici omnem reatum pœnæ temporalis peccatis iam condonatis diuino adhuc iudicio debitæ, sed Christus cælestis sponsus Ecclesiam sponsam tali potesta-

:ſtate dotauit. ergo conceſſit illi authoritatem inſtituendi Iubi-:um Eccleſiaſticum.

Maior huius argumenti eſt certa, ſi quidem Catholici per pote-atem inſtituendi Iubilæum Eccleſiaſticum, ſeu quod idem eſt con-:dendi indulgentiam Iubilarem nihil aliud intelligunt, quam fa-ultatem Eccleſiæ à Chriſto communicatam pleniſſime remittendi mnem pœnam temporalem modo explicato. Si igitur ſemel ve-um eſt, quod Chriſtus Dominus tradiderit Eccleſiæ talem faculta-:m, nemini dubium eſſe poteſt, quin reliquerit etiam ipſi poteſtatē iſtituendi Iubilæum Eccleſiaſticum, & conferendi quamcumque idulgentiam. Quod autem de facto Saluator, ac Redemptor no-:r excellentiſſimo hoc dono, ac beneficio voluerit afficere Eccle-am ad gloriam ſuam, & vtilitatem noſtram probatur quintupli-ter:

Primo authoritate ſcripturæ: Secundo Eccleſiæ Catholicæ defi-itione: Tertio antiquo eiuſdem vſu, ac conſuetudine: Quarto te-imonijs Sanctorum Patrum: Quinto denique ratione.

Authoritates igitur ſcripturæ ad probandam hanc veritatem abentur Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcum-ve ligaueris ſuper terram erit ligatum & in Cælis, quodcumque ſol-tris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cœlis.* Item Matth. 18. *qua-umque alligaueritis ſuper terram erunt ligata & in Cælo: & qua-umque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in Cælo.* Ioannis 20. *uorum remiſeritis peccata remittuntur eis.*

His enim in locis ex communi Sanctorum Patrum conſenſu, Hi-:rij in Matth. Hieronymi ibidem, Auguſtini tract. 22. & 49. in Ioan-em & lib. 20. de Ciuit. Dei c. 9. Chriſoſtomi hom. 61. in Matth. Cy-riani lib 1. epiſt. 2. Ambroſ. lib. 1. de pœnitentia c. 2. & 7. aliorumque ompiurium, Chriſtus concedit Apoſtolis, eorumque ſucceſſori-us facultatem de cauſa peccatorum cognoſcendi, eaque in Dei nquam foro, remittendi, aut retinendi. Cum ergo verba Chriſti nt generalia, quæ nihil penitus excipiunt, debent intelligi de uocumque vinculo, de quocumque impedimento regni Cœleſtis onſequendi, quodque actualem fidelium beatitudinem retardare oſſet, nec ſolum de abſolutione peccatorum quoad culpam; ſed tiam quoad pęnam, vtraque enim re vera impedit actualem Cæ-:ſtis gloriæ conſuetudinem. De culpa ſatis conſtat. nihil enim oinquinatum introibit in illam Ciuitatem. de pœna etiam dicitur latth. 5. non exibis donec reddas nouiſſimum quadrantem.

Nec

Nec solum de absolutione vtriusque in sacramentis, sed etiam extra Sacramenta quoad pœnam tantum: Vt intelligamus tributum esse à Deo Ecclesiæ facultatem remittendi peccata generatim, omni modo, & ratione, qua & Ecclesiæ id sit vtile, & deceat quoque bonitatem Dei, ad eiusque gloriam expediant, quę finis est omnis Ecclesiastici ministerij. At vnus quidam modus sic remittendi peccata, est, vt quoad pœnam quidem possint etiam extra Sacramentum remitti ac solui beneficio satisfactionum Christi, & Sanctorum tanquam communis Ecclesiæ thesauri.

Quare sicut Ecclesia absoluere potest homines peccatores ritè dispositos à culpis quibuscumque applicando illis per Sacramentũ Baptismi, vel pœnitentiæ Christi merita, ita etiam potest absoluere eosdem extra Sacramentum à pœnis temporalibus, applicando eisdem Christi, & Sanctorum passiones, quibus infra reatum eiusmodi pœnarum expiari posse demonstrabimus.

Nec obstat quod Christus in præallegatis authoritatibus nullam fecerit in specie mentionem eius remissionis, quæ fit in Indulgentijs, non inquam hoc obstat, nam ad comprehendendam illam sufficiebat modus ille loquendi generalis, & vniuersalis Christi Domini. Vnde nec etiam in illis locis expressit in specie modum remittendi peccata in Sacramento, vel ministerio pœnitentiæ, vt illa verba tam de remissione ac absolutione in Sacramento, quam extra Sacramentum commodius intelligerentur. Ratio autem, cur reatus culpæ soluatur in Sacramento, reatus autem pœnæ extra Sacramentum, est in promptu, quamuis enim potestas soluendi, ac remittendi ibi tradita sit generalis, debent tamen omnia solui, prout exigit eorum natura. Culpæ autem mortales non soluuntur sine infusione gratiæ, infusio autem gratiæ non datur secundum prouidentiam Dei ordinariam ministerio humano, nisi per Sacramenta: reatus autem pœnæ remanentis post condonatam, ac remissam iam culpam solui possunt extra Sacramentum, quia ad id non requiritur infusio gratię: Sed ea iam adepta præsupponitur, iam enim oportet culpam obliteratam fuisse, antequam pœna actu remittatur; & stultissimum esset petere veniam, aut indulgentiam respectu pœnę, quandiu maneret culpa, & deformitas peccati, nec homo esset reconciliatus à Deo.

Secundo probatur eadem authoritas concedendi Iubilæos, & Indulgentias ex definitione Ecclesiæ, quæ in fidei quæstionibus infallibilis est, cum sit columna veritatis, quam qui non audit Christo

Iudice,

udice, non Christianus, sed Ethnicus reputari debet. Extat igitur pprobatio Indulgētiarum in Conc. Trid. sess. 25. decreto de Indulg. bi potestas conferendi Indulgentias dicitur Ecclesiæ concessa a Christo, & diuinitus tradita, & ab antiquissimis etiam temporibus obseruata. Idem habetur ex Conc. Constant. § 8. Generali Concilio Viennensi, vt refertur Clementina 2. de pœnitentijs, & remissionibus; & ex Lugdunensi etiam Generali eodem titulo de pœnit. lib. 6. & ex Lateranensi adhuc Generali sub Innoc. 3. c. 62. Denique n antiquissimis Concilijs videmus obseruatam consuetudinem, vt Episcopi aliquando remitterent pænas, & satisfactiones pœnitentibus. In Concilio Nicæno can. 11. Laodiceno c. 2. Ancyrano c. 5. Agathensi can. 60. Cartaginensi 4. cui interfuit D. August. can. 75. & in Arelatensi 2. can. 16. alijsque pluribus. Quæ remissiones extra Sacramentum fiebant, nec solum erant, pęnarum debitarum in foro Ecclesiastico propter peccata notoria & scandalosa, quibus pœnitentiæ publicæ imponi solebant, secundum canones pœnitentiales, vt contendunt hæretici, sed etiam pęnarum Purgatorij, vt in foro diuino, seu foro animæ subeundarum, vt docent omnes Sancti Patres inferius citandi, quorum vt eluderet authoritatem Kemnitius in examine Conc. Trid. sess. 25. tandem eo confugit, vt dicat Patrum sententias non esse scripturarum regulæ præferendas; quod & Catholici etiam asserunt, sed tamen merito putant, Patres rectius, quam sectarios intellexisse sacras Scripturas, quarum præcipue authoritati innititur veritas, quam modo aduersus ipsos propugnamus.

Deinde cum tales remissiones fierent ab Ecclesiæ Prælatis ex gratia quadam erga ipsos pęnitentes, quod nullus etiam sectariorum negat, si quidem ex ipsis supra citatorum conciliorum verbis apertissime colligitur; in Laodicena enim synodo can. 2. dicitur faciendam fuisse remissionem secundum misericordiam: atque huius rei clarissimum est argumentum, quod opportunitate dierum festorum, qui præcipuè in Ecclesia celebrantur, solitæ erant fieri illæ condonationes, vt patet ex epist. Innocentij I. ad Decentium c. 7. & Eutichianorum ad Conc. Ephes. 11. quæ habetur in Conc. Chalcedonensi act. 2. Vel etiam in gratiam Martyrum, qui carceribus detinebantur, & ab Episcopis hanc veniam pro pœnitentibus postulabāt, vt liquet ex D. Cypriano epist. 11 & epist. 21. & 54. & lib. de lapsis, & Tertulliano lib. ad martyres cap. 1. vbi ipse hanc indulgentiam pacem appellat & lib. de pudicitia cap. 22. Cum inquam tales remissio-

nes fierent ex gratia quadam, nisi etiam relaxassent pęnam iudicio diuino debitam, quæ pænitentijs illis impositis redimendæ erat, nullam fecissent ea re pænitentibus gratiam, sed potius eis attulissent magnum spirituale detrimentum. Si quidem longè fuisset eis melius constitutas pęnitentias adimplere, & ea ratione pęnam seuerissimam diuino iudicio debitam redimere, quam relaxatis, ac condonatis eiusmodi pænitentijs, manere interim obligatos ad satisfaciendum Deo, eiusque foro. Eas autem pęnitentias, quæ relaxabantur fuisse institutas ad Deum placandum, satisfaciendo ei pro pæna alioquin debita, iam diximus controuersia superiori c. 1. idq; passim veteres Patres ita aperte significarunt, vbi de satisfactionis operibus in pænitentia necessarijs loquuntur, vt mirum sit adhuc miseros Hæreticos meridiana in luce cæcutire.

Tertio probatur eadem facultas concedendi Iubilæos, & Indulgentias ex antiquo vsu Ecclesiæ Catholicæ, contra quem disputare insolentissimam insaniam esse docet D. August. Epist. 218. iam enim ab Alexandro III. qui præfuit Ecclesiæ circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum vsque ad præsens tempus Sanctissimi Patris nostri Innocentij X. Summos Pontifices varias concessisse Indulgentias ex eorum actis ita aperte constat, vt nec ipsi sectarij id diffiteantur. Vbi accurate notandum est omnes hos Pontifices per hos quadringentos annos Indulgentias tanquam ex veteri Ecclesiæ constituto, ac consuetudine semper concessisse, neque vllum eorum de eis tanquam de re aliqua noua esse loquutum, sed plane vt de antiqua, & in qua dispensanda semper habuerit Sedes Apostolica legitimam potestatem, per authoritatem soluendi, & ligandi sibi à Christo traditam. Quod est sane efficax argumentum ad probandum hanc esse veritatem Catholicam. Nam Catholicorum Dogmatum hoc est proprium, vt non inueniatur eorum origo nisi ad Euangelium, vel Apostolos ascendamus Hæresum autem semper designari potest certus author, & locus, & tempus, in quo ea oriri cęperunt. Sed de his satis, cum capite sequenti fusius acturi simus de origine, ac antiquitate Iubilæi.

Quarto confirmatur varijs Sanctorum Patrum testimonijs Tertulliani in lib. ad Martyres c. 1. *quam pacem*, inquit, vbi indulgentiam pacem appellat, *quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in Carcere exorare consueuerunt, & ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fouere, & custodire debetis, vt si forte alijs præstare possitis.* Cypriani Serm. vltimo de Lapsis, *Pœnitenti*, inquit, *oranti, roganti*

potest

otest Deus clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid ro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes. Tametsi odem loco sicut & Epist. 11. vt optimè notauit Pamelius, arguit nmoderatum vsum Indulgentiarum, & quod aliqui Martyres dant, vel peterent pacem pro indignis, & scandalosis pœnitentibus, eque enim martyres dare poterant, cum sæpe essent laici, sæpe eiam mulieres, sed solum rogare Episcopos vt darent veniam, & pœias relaxarent. Quæ pœnarum relaxatio, seu Indulgentia fiebat ab Episcopis ad preces Martyrum, non solum vt martyres honorarent, & ad consummandum martyrium vehementiùs accenderent, ed etiam quia videbant, merita martyrum posse communicari pœnitentibus, & acceptari à Deo passiones eorum pro satisfactione, quæ lapsis pænitentibus deerat, vt colligitur ex verbis ipsius D. Cypriani Epist. 14. vbi ait: pœnitentes, qui libellum à martyribus acceperint, eorum auxilio iuuari apud Dominum in delictis suis. Non enim dicit solum apud Ecclesiam, sed apud Dominum. Probatur etiam ex Tertulliano lib. de pudicitia c. 22. vbi ipse iam factus Hæreticus inuehitur in Indulgentias, negatque quod antea in lib. ad Martyres concesserat, posse videlicet ad preces ipsorum indulgeri apsis reconciliationem, & rationem affert, quia non supersunt martyribus satisfactiones, quas cum lapsis communicare possint. Sufficiat, inquit, Martyri propria delicta purgasse. Ingrati, vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus, & paulo post sic martyrem alloquitur. Si peccator es quomodo oleum faculæ tuæ sufficere & tibi, & mihi poterit? hæc enim & alia sequentia Tertulliani verba satis ostendunt iam illius temporibus hanc fuisse consuetudinem, de qua nunc agimus, vt in gratiam martyrum, & intuitu passionum ipsorum darentur pœnitentibus Indulgentiæ, quæ non solum in foro Ecclesiastico, sed etiam in foro diuino remitterent pœnas alioqui in Purgatorio subeundas, non enim Tertullianus reprehendit nisi quod videbat suis temporibus obseruari, nec tamen eius reprehensio curanda est, sed contemnenda potius, quia iam hæreticus erat, vnde illam solum attulimus, vt ex ista hominis iam hæretici reprehensione praxim, & vsum veteris Ecclesiæ cognosceremus. Nec etiam eius ratio solida est. Nam controuersia quinta agendo de thesauro Ecclesiæ ostendemus Deo dante plurimorum martyrium passiones verè potuisse non solum ipsorum martyrum, sed etiam aliorum hominum debita expiare, quoad reatum pœnæ temporalis.

 Quid

Quid plura? sanctissimi Viri Bernardus, & Franciscus prædicauerunt pluribus in locis indulgentias, multis, ac maximis prędicationem eorum sequentibus signis, & miraculis. Sancta Brigitta Vidua, sanctissima, cuius reuelationes diligenter examinatę, & approbata per viros doctissimos fuerunt, ab ipso Christo Domino non semel admonita est de Indulgentijs maximis, quæ sunt Romę lib. 6. reuelat. cap. 102. & 105.

Quinto tandem, & vltimo probatur veritas Catholica ratione. Præsupponendo prius breuiter aliorum merita, & satisfactiones alijs prodesse posse duobus modis, prior est per intentionem propriam, & singularem eius qui operatur, vel patitur; quique vult operis sui fructum cum alijs communicare: etenim sancti, & iusti pro alijs orare possunt, ieiunare, eleemosynas dare, similia quę opera præstare, cum Ecclesia sit corpus Misticum, cuius caput Christus, membra autem fideles, maxime in statu gratiæ existentes. Atqui proprium est membrorum vt se mutuo adiuuent, sibique mutuo seruiant. Et ad hoc pertinet Sanctorum communio, quam in Symbolo profitemur, totque laudibus commendant, ac efferunt SS. Patres.

Posterior modus, quo aliorum satisfactiones alijs prodesse possunt, est per auctoritatem, ac iurisdictionem eorum, qui pręsunt in ipsa Ecclesiæ communitate, & potestatem habent clauium, qua thesaurum hunc Ecclesiasticum, tanquam bonum quiddam commune Ecclesiæ egentibus distribuant, vt sic ex Apostolo ad Galatas 6. *Aliorum abundantia, aliorum inopiam suppleat*. Vnde sic argumentari licet.

Si opera satisfactoria Christi Domini, Beatissimæ Virginis Mariæ, quę ipsis ad pœnam expiandam necessaria non fuerunt (cum nullo vnquam pœnæ reatu ob actuale peccatum obstricti fuerint) sic vt nec alijs innumeris sanctissimis Viris in Ecclesia, qui multo plura vel pręstiterunt, vel etiam passi sunt, quam fuit necesse, vt pœnam temporalem redimerent peccatis suis debitam, manent in Ecclesia, tanquam thesaurus quidam repositus in acceptatione diuina, vt valere, & prodesse ijs possint, subsidio communis eius thesauri ad pœnę temporalis redemptionem indigeant: certè rationi omnino, sacrisque Scripturis consentaneum esse videbatur, vt Christus Dominus relinqueret Ecclesiæ Sponsæ auctoritatem, ac facultatem eum thesaurum dispensandi, concedendo Indulgentias, instituendo Iubilęos, ita vt pręd ictarum sastisfactionum

valor

alor appiicaretur ex iusta causa indigentibus. Siquidem Eccle-ia Catholica non minus bene fuit instituta à Christo, quam sint liæ respu[illegible]æ, ad quarum bonum regimen ac statum pertinet, t quę bona communia sunt, distribui iusta ex causa possint indi-entibus ab ijs, qui in communitate præsunt. Sed vt infra con-ouersia citata probabimus, datur in Ecclesia communis quidam hesaurus, qui sit illi in acceptatione diuina repositus. Ergo fa-ndum est Christum Dominum voluisse Ecclesiam dotare ea po-estate dispensandi per Indulgentias iustis de causis hunc thesau-am, secundum fidelium necessitates occurrentes.

Cum nihil sit quod huc vsque dictis à nobis ex sacris Scripturis, c sanctis Patribus solide possit opponi ab Hæreticis, non est quod i eorum obiectionibus soluendis tempus teramus, maximè etiam um nihil ab ipsis possit obijti, cui facile ex dictis, & dicendis in oto huius tractatus decursu non possit responderi, ac obuiam iri.

Solum breuiter animaduerto, quod si abusus aliqui per quæ-ores Iubilæorum, ac Indulgentiarum in hac parte irrepserunt, it irreperent, non est vnde propterea negetur Ecclesiæ potestas concedendis Iubilæis, aut Indulgentijs, sic vt ex ab vsu Sacra-amentorum ab improbis viris ridiculum esset denegare eidem ccclesię potestatem administrandi Sacramenta, cum præsertim illi xcessus minime Ecclesiæ vitio accidant, sed potius ab ipsa sub eueris pœnis prohibeantur in Concilijs supra à nobis citatis.

CAPVT II.

De Origine, ac antiquitate Iubilæi Ecclesiastici.

Vpposito ex dictis superiori capite, quod Christus Dominus reliquerit Ecclesiæ suæ potestatem concedendi, ac instituendi bilęos, statim posset alicuius animum pulsare desiderium scien-, quando nam Ecclesia, eiusque Prælati cœperint vti tali pote-te, ac authoritate. Pro cuius intelligentia notandum est Iu-æum posse considerari dupliciter; primo secundum quod an-xam habet indulgentiam; deinde secundum, quod Romę ita-emniter celebratur, statoque tempore recurrit.

Kem-

Kemmitius in 4. parte examinis loquendò de Iubilęo primo modo considerato, docet institutum Indulgentiarum rem nouam esse, cuius neque in sacra Scriptura, neque in veterum scriptis ante Alexandrum Tertium circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum memoria exstet.

Verum hic author, cęterique nouatores, qui illum sequuntur absque dubio hallucinantur. Longe enim ante Alexandrum Tertium. Pontifices antiquiores varias concessisse indulgentias demonstrare difficile non erit. Nam Paschalis Secundus in Concilio Lateranensi Generali, & numerosissimo concessit Indulgentiam quadraginta dierum ijs, qui ad prædictum Concilium venerant, teste Abbate Verspergensi, qui tunc viuebat in Chronico anni 1116.

Item Vrbanus Secundus circa annum Domini 1096. in Concilio Claromontano ijs, qui Crucesignati, ad bellum Ierosolymitanum proficiscerentur, aduersus Saracenos, Duce Gofrido Bullonensi, concessit indulgentiam his verbis, de misericordia Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli authoritate confisi, ipsis minutas pro delictis suis pœnitentias relaxamus. Teste S. Antonino 2. p. Hist. tit. 16. c. 1. §. 23.

Item Sergius Tertius, qui sedit circa annum Domini octingentesimum quadragesimum quartum, concessit indulgentias trium annorum, & trium quadragenarum visitantibus Ecclesiam S. Martini in Montibus in die festo eiusdem Ecclesiæ, vt antiquissimus lapis marmoreus in altari maximo eiusdem Ecclesię inscriptum habet.

Sed ascendamus adhuc superius Leo Tertius, qui præfuit Ecclesię circa annum Domini octingentesimum tertium Indulgentiam concessit in Ecclesia S. Mariæ Aquisgrani, & etiam ijs fidelibus, qui celebrarent festum sancti Suniberti, vt testatur Sanctus Lugderus in Epistola ad Riofridum Traiectensem Episcopum, quę exstat apud Surium tomo 2. in initio Martij, vbi sic loquitur cap. 9. *Idem S. Leo Papa anno Dominicæ Incarnationis 1303. cum magna solemnitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore imperialiter, cum fuit susceptus, inter multa pietatis suæ opera, instantia eiusdem Serenissimi Imperatoris, & Regis Aquisgrani in Palatio dedicauit Ecclesiam perpetuæ Virginis Mariæ donans eamdem Ecclesiam multis indulgentijs*. Et infra. *Et*

Colo-

Colonia Agrippina tam ad sanctum Martinum, quam in Capitolio altaria consecrauit, & multa alia Monasteria, & Altaria, Capellas per Alemanniam, & Galliam vbique multas indulgentias conferendo. Et infra. *Obtulit idem sanctus Papa eidem Ecclesiæ speciales indulgentias cunctis fidelibus celebrantibus festum sancti Suniberti Episcopi, & ad Diuina confluentibus.* Hęc ille.

Ecce in quam multis Regnis, & Ecclesijs prędicatum est hoc verbum, scilicet & Indulgentias esse, quod non à nobis processit. Sed ascendamus adhuc ad superiora tempora, id est ad ętatem Gregorij Magni ante annos nongentos.

Hic enim Summus Pontifex Stationes Romę instituit additis etiam indulgentijs, vt & perpetua traditione constat, & refert D. Tho. in 4. distinct. 20. q. 1. art. 8. Durandus ibidem q. 3. & Altissiodorensis vtroq; antiquior l. 4. suę Summę & tract. 6. Onuphrius Patauinus in tractatu suo d Stationibus. Vnde licet apud D. Gregorium in eius operibus, quę nunc extant, fiat solum mentio Stationum, & Litaniarum, non autem indulgentiarum, quas ipse Stationibus addiderit: magni tamen momenti est authoritas Diui Thomę, Altissiodorensis, & aliorum in Ecclesiastica traditione fundatorum.

Nec refert; quod nec Gratianus in decreto, nec Magister Sententiarum mentionem fecerint Indulgentiarum, satis enim esse putarunt de ipsa authoritate remittendi peccata agere, ad quam indulgentia tanquam vnus quidam particularis vsus eius, reuocatur. Quod etiam dicimus de alijs veteribus Scriptoribus, quamuis post Apostolica tempora extent testimonia Tertulliani, & Cypriani superiori capite allata de remissione pœnę, quam extra Sacramentum faciebant Pontifices, vel ad Martyrum intercessionem, vel alijs de causis.

Habetur insuper in Regesto S. Gregorij l. 7. in Epistola ad Recaredum S. Hermenigildi fratrem Regem Visigottorum exemplum indulgentiæ; licet formula sit ab ea, qua nunc Pontif. nostri vtũtur, diuersa. Sed hoc parum refert Clauem ergo, inquit, paruulam à sacratissimo B. Petri corpore pro eius benedictione transmisimus, in qua est ferrum de Catenis eius inclusum, & addit rationem, vt quod collum eius ad Martyrium ligauerat, vestrum ab omnibus peccatis soluat. Non enim D. Gregorius eo loco intellexit remissionem à peccatis quo ad culpam, siquidem non obijcitur, nisi in Sacramento pœnitentię. ergo intellexit quoad pœ-

nas

nas Diuino iudicio, peccatis iam remissis, debitas. quę quidem absolutio nihil est aliud, quam indulgentia. de qua nunc loquimur & quam hic Diuus Gregorius vocat benedictionem, vetere verbo, illo tempore vsitato. Rem enim indulgentiarum, & in sacris Scripturis, & in veterum Scriptis contineri ostendimus, quamuis non ita expresse ipsum indulgentię nomen habeatur, sic vt contigit de nomine Homousios, ante Concilium Nicœnum de nomine transubstantiationis ante Conc. Tridentinum. Et sic de alijs.

Simile exemplum est in eodem lib. in epistola ad Secũdum, aliud lib.6. in epist. ad Theotistum, aliud lib.5. epist,6. ad Childebertum Regem Francorum. Quod exemplum Beati Gregorij de mittendis Indulgentijs, non solum imitatus, sed etiam quodammodo interpretatus est postea Gregorius Septimus, sic enim scripsit ad Alphõsum Regem Hispaniarum, vt est in lib.7. Regesti eius, ex more Sanctorum misimus vobis Clauiculam auream, in qua de Catenis B.Petri benedictio continetur, vt omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberauit, eius meritis, & intercessionibus vos ab omnibus peccatorum vestrorum vinculis absoluat, & ad gaudia perducat æterna. Est autem obseruandum in exemplo vtriusque Gregorij, misisse clauem paruulam, quę erat signum Indulgentię per potestatem clauium concessę, in qua authoritate successerunt Beato Petro, quod nunc Pontifices alijs verbis significant, & alio modo testantur cum dicunt, authoritate Petri, &c. Mittentes non clauem, sed litteras, quas vocant bullas, in quibus videmus claues sculptas, aut depictas, tanquam perpetua signa eiusdem potestatis.

Ecce iam ascendimus ad tempora Gregorij Magni, quibus etiã Henriques tract. de Indulg. cap.3. num.2. refert sanctum Isidorum Hispalensem dedisse indulgentiam 40. dierum. Sed nec à D.Gregorio primum, aut à sęculo eius processit hoc verbum, & dogma de indulgentijs, nam de Diuo Syluestro, qui pręfuit Ecclesiæ circa annum Domini trecentesimum, Romæ in Sacello sanctæ Crucis in Hierusalem legitur, quod ad petitionem S.Helenæ: *Sacellum illud consecrauerit, & multis Sanctorum reliquijs ornauerit, multiplicemque peccatorum veniam visicantibus indulserit.*

Verùm cum Catholicorum dogmatum hoc sit proprium, vt non inueniatur eorum origo, nisi ad Euangelium, vel Apostolos ascendamus, primum Indulgentiarum vsum ab ipsis Sanctis Apostolis traxisse apostolica doctrina à Clemente Romano conscripta testatur.

tur. Sic enim ait lib. 3. constitut. Apostolic. cap. 10. *Sed neque Laico permittimus facere ullum opus Sacerdotale, vt sacrificium, aut baptismum, aut manus impositionem, aut benedictionem magnam, & paruam*. Vbi, vt erudite adnotauit Franciscus Turrianus Societatis Iesu ad hunc locum, benedictionem magnam vocat Clemens remissionem peccatorum magnorum, quæ mortalia dicuntur, & pœnarum inferni, quæ eis debentur, quæ remissio ex æquo omni Sacerdoti concessu, & permissu Episcopi sui conuenit, cuius typus, & figura erat in lege Leuitici mundatio illa a lepra, quæ erat magna mundatio. Paruam vero benedictionem appellat remissionem reliquiarum peccatorum, id est pœnarum, quæ debentur pro peccatis magnis prius remissis & paruorum peccatorum, quæ dicuntur venialia, cuius remissionis paruę typus, & vmbra erat illa mundatio secunda parua vestium, & pilorum post illam mundationem magnam priorem a lepra. Quæ quidem secunda mundatio parua sicut faciebat ingredi die 8. in tabernaculum suum, sic remissio pœnarum pro peccatis magnis remissis, aut venialibus debitarum, propter debitum naturale satisfaciendi læsis & offensis, facit ingredi iustificatos in patriam cælestem, vbi sunt vnicuique mansiones, ac tabernacula sua parata. Cum igitur paruum referatur ad magnum, paruum esse potest dimidium, vel tertia pars debiti, vel quarta, vel totum ipsum debitum paruum, cuius indulgenter expungendi, vt expedire prouidenter iudicauerit, summam potestatem habet is, qui est in Ecclesia Episcopus Episcoporum, Beati Petri Principis Apostolorum successor.

Tandem suprema hac authoritate concedendi indulgentias, quæ ad paruam benedictionem, vt statim ex Turriano explicuimus, pertinent vsum fuisse Sanctum Paulum Apostolum, testatur remissio pœnę temporalis facta Corinthio illi incæsto post remissum peccatum his verbis 2. Corinth. c. 2. Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi, vt non circumueniamur a Sathana. Diuus enim Paulus non tantum pœnam iudicio Ecclesię ad ædificationem aliorum, & disciplinæ causa debitam, condonauit, vt Kemnitius, alijque sectarij obijciunt, sed etiam pœnam aliquam iudicio Dei debitam, ad quam redimendam, Deoque satisfaciendum pro iniuria ipsi facta secundum rationem iustitię naturalis, & secundum traditionem apostolicę doctrinæ, illi Corinthio grauissima erat imponenda pęnitentia, etiamsi iam tantum de suo peccato dolorem cō-

F cepis-

cepisset, vt periculum esset ne nimia tristitia absorberetur, quæ seria Corinthij pęnitentia mouit conciues suos ad rogandum Beatum Paulum, vt ipsi iam excommunicato ignosceret, condonaretq; quod supererat pęnitentiæ, qua in condonatione remisisse etiam Apostolum pęnam aliquam, quæ persoluenda alioqui restaret iudicio diuino, atque adeo re ipsa concessisse illi Corinthio indulgentiam, de quo principaliter est difficultas, probant Interpretes ad hunc locum tripliciter. Primo quia illam pœnam, aut partem illius pœnę tunc relaxauit Apostolus, quam antea prima ad Corinthios cap. 5. dixerat se nomine ac loco Christi, ei homini constituisse. *Absens*, inquit, *corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui, vt præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere eiusmodi hominem Sathanæ in interitum Carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini*. Pœna autem sic constituta, certe non est pœna debita tantum in foro externo Ecclesiæ, ratione disciplinæ, sed etiam in foro, & iudicio diuino, aut per se, aut quatenus irrogatur loco alterius pænę, quæ secundum iustitiam diuinam esset alioqui luenda. Secundo eo ipso quod Apostolus dicit eam pęnam decreuisse se inferre, *vt illius hominis spiritus saluus fieret in die Domini*, clare loquitur de aliqua pęna, quam secundum iudicium Dei soluere debuisset Corinthius, vt tandem saluus esse posset. Si quidem illa sola pœna remisso iam peccato potest retardare fidelem in die iudicij a consecutione suæ salutis, seu gloriæ Cælestis. Tertio 2. Corinth cap. 2. Apostolus in persona Christi, id est, authoritate à Deo accepta indulgere se dicit illam pęnam, erat ergo debita iudicio Christi, & non solum causa disciplinæ secundum iudiciũ Ecclesiæ.

Instant Hęretici aduersus textum citatum ex epist. 2. ad Corinth. contendendo Apostolum ibi non remisisse iuridice pœnam incęstuoso debitam, & probant, quia D. Paulus ait se id donauisse quod Corinthij donauerant: *Si quid donastis, & ego*, at qui Corinthij non condonauerant pœnam homini incæstuoso per aliquam iurisdictionem. ergo nec D. Paulus.

Respondeo authoritatem, qua Apostolus id præstitit fuisse superiori capite probatam, lege à Deo sancita de soluendo, & ligando, *quæcumque solueritis super terram &c.* vbi iterum nota non dixisse Saluatorem, quæcumque peccata, sed quæcumque: vt reliquum quoque debitum pænę pro remissis peccatis intelligeremus. Quam autho-

authoritatem à Christo acceptam satis expressit Apostolus, dum dixit se id in persona Christi fecisse. Deinde eadem authoritate Diuus Paulus absoluit Corinthium, qua eum ligauerat, at qui ligauerat iuridice, vt patet ex citatis verbis 1. ad Corinth. cap. 5. *ego absens corpore &c.* sicque explicant Patres ad hunc locum, qui proinde spiritalem iurisdictionem, & authoritatem in hoc facto agnoscunt.

Ad argumentum igitur Kemnitij, & sectariorum duplex solutio potest adhiberi. Prior, vt Corinthij Sacerdotes absoluerint iustum incæstuosum iuridicè, sed per potestatem à D. Paulo acceptam, sicut hodie Sacerdotes delegati ab Episcopo, vel à Summo Pontifice absoluere possunt ab excommunicatione, & à casibus reseruatis.

Posterior, vt textus intelligatur de omnibus Corinthijs, etiam Laicis, qui quidem donauerint, aut indulserint aliqua huic Corinthio, cuius per peccatum fuerant offensi, non iuridice tamen nec iudicialiter, sed solum precario, & per modum intercessionis, quatenus pro illo orauerunt apud D. Paulum, itaut ipse iuridice, & per potestatem sibi diuinitus concessam negotium absolutionis peregerit, cuius etiam iurisdictionis, & potestatis clarissimum fuit argumentum, quod passus sit Apostolus se rogari diu à Corinthijs antequam faceret.

Sic ergo loquendo de Iubilæo Ecclesiastico secundum quod annexas habet indulgentias manifestè constat iam ab ipsis Apostolorum temporibus Ecclesiam, eiusque Prælatos vsos fuisse potestate sibi à Christo tradita concedendi, ac instituendi Iubilæum. Superest modo, vt agamus de illo secundum quod Romæ ita solemniter, ac determinatis temporibus celebratur; circa quæ aliqua certa, aliqua dubia, & incerta inuenio.

Primo certum est iam ab antiquissimis temporibus ad limina Apostolorum susceptas fuisse à fidelibus Christianis voluntarias peregrinationes, quidquid in contrarium oblatrent Centuriatores Centuria 4. cap. 6. contendentes abusum peregrinationum (eo enim nomine illas dehonestant viri hæretici) tempore Constantini cępisse. verum longè ante Constantinum sanctam hanc in Ecclesia consuetudinem viguisse antiquæ testantur Historię.

Origenes enim, qui per centum annos fere ante Constantinum floruit, videlicet à Christo nato 200. votum emisit, se Romam profecturum, ad limina Apostolorum visitanda, quod etiam ex anti

quo iam procul dubio vſu adimpleuit, vt affirmat Euſebius lib. 6. Hiſtor Eccleſiaſt. cap. 11. Similiter anno Domini 286. Beatiſſima Zoe coniux Caſtoris etiam vrgente perſecutione Gentilium in Chriſtianos, in Apoſtolorum natali ad confeſſionem Sancti Petri accedit, & orat, vt teſtatur Baronius tom. 2. ex actis Sanctorum Martyrum.

Quod ergo incertum eſse poteſt, & circa quod nihil ante tempora Bonifacij VIII. ſcriptum reperiri videtur, eſt num huiuſmodi ad limina Apoſtolorum peregrinationes ſuſceptæ fuerint deuotionis ſolum gratia, an etiam lucrandi indulgentias. Pro quo dico aliquas deuotionis ſolum gratia fuiſse ſuſceptas, alias etiam lucrandi indulgentias cauſa, quod euidenter demonſtrat Hiſtoria Venerabilis Eccleſiæ Sanctę Marię Montisſerrati in regno Cataloniæ, quæ conſtructa fuit ante Bonifacium VIII. per ſeptingentos, vel ſexcentos annos ad minus. in bulla enim fundationis huius Eccleſię narratur, vt ex Religioſis Patribus Societatis Ieſu qui eam viderũt, legerunt, & obſeruarunt, ſe accepiſse refert Benſonius lib. 3. de anno Iubilæi cap. 5. quod commiſso carnis peccato, venit Romam fundator illius Eccleſię ad indulgentias conſequendas quia annus ille Romæ erat annus Indulgentiarum.

Secundum quod apud omnes doctores certum reperio, eſt, quod primus, qui conſtitutionem, quæ apud nos extet de Indulgentia anni Sancti, ſeu centeſima edidit, fuit Bonifacius VIII. anno Domini 1300. in ſua extrauaganti quę incipit, *Antiquorum*, in corpore enim iuris ante prędictam Bonifacij conſtitutionem nulla alia inuenitur, quę de hac remiſſione peccatorum anni Sancti, ſeu centeſimi mentionem faciat. Et quamuis Bonifacius non vtatur verbo Iubilęi, vel anni Sancti, ſed Clemens VI primus ſit, qui hanc Iubilæi vocem, profeſsus rationem ſe habere pręfigurati Iubilęi noſtri per Moſaicum, vſurpauerit pro anno quinquageſimo quo indulgentiam pleniſſimam conceſſit vrbem aduentantibus, vt ſtatim dicemus. Nihilominus tamen res eadem eſt. Et ſic ſunt intelligendi doctores, & hiſtorici aſserentes Bonifacium VIII. fuiſse primum qui Iubilęum edidit, primus inquam decreto & conſtitutione, vel quatenus, cum prius incertum etiam haberetur, quanta eſset indulgentia centeſimi anni, an tertię partis peccatorum, vel plenaria, quantumue duraret. an per menſem, vel per duos menſes, vel quoties viſitanda forent Sanctorum Apoſtolorum limina fuit primus, qui fideles de hoc certiores per ſuam extrauagãtem reddere voluit.

Ter-


Tertium tandem, quod est certum & indubitatum, est Bonifacium VIII, ita fuisse primum, qui decreto, & constitutione Iubilæum centesimo quoque anno fieri sanciuit, vt tamen longè ante illius tempora hęc centenaria remissio, quæ conceditur Romam venientibus, & visitantibus honorabiles Basilicas Principum Apostolorum, fuerit vsu recepta, ac frequentata ex concessione Antiquorum Pontificum. Quod colligitur primum ex verbis ipsius Bonifacij in dicta Extrauaganti: *Antiquorum fida habet relatio, quod accedentes ad venerabilem Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe magnæ sunt concessæ remissiones, & indulgentiæ peccatorũ.* Secundo ex libro, quem scripsit nepos eiusdem Bonifacij Iacobus Cardinalis Sancti Georgij de anno centesimo, seu Iubilæo, qui reperitur in Bibliotheca Sanctorum Patrum, vbi potest legi. Tertio denique hanc ipsam traditionem, & famam publicam centesimæ Indulgentiæ pluriũ contestium dicto confirmatam, & si scripto non constaret, refert Ioannes Villanus maximæ authoritatis Historicus qui floruit tempore Bonifacij; hic enim lib. 8. suæ Chronicæ cap. 36. sic scribit cum à multis diceretur quod superioribus temporibus, quolibet centesimo anno, in natiuitate Christi Pontifices maximas Indulgentias concederent visitantibus limina Apostolorum &c. Idem scribit Ioannes Monachus Cardinalis in Glossa magna, quam fecit super dictam Bonifacij extrauagantem; idem quoque Turrecremata. Vnde ex his omnibus, nemo nisi proteruus dubitare potest, hunc ritum, & morem veniendi Romam ad Indulgentias consequendas centesimo quoque anno, longe superasse Bonifacij VIII. tempora.

Verum Iubilæus, quem prius traditione, & vsu, post tempora vero Bonifacij constitutione, centesimo dumtaxat anno celebrandum esse vidimus, postea redactus fuit ad annum 50. à Clemente 6. Anno in Extrauaganti *Vnigenitus*, vbi & rationem affert, quod vita nostra sit breuior, & pauci admodum centesimos annos videant: Sequutus est statim Vrbanus VI. qui adhuc ob eamdem rationem contraxit Iubilæum ad annos triginta tres, idque in honorem vitæ, Christi Domini, qui totidem annos in terris egit, trigesimo quarto solummodo inchoato: quod etiam confirmauit Nicolaus V. vt patet ex Bulla Pauli II. cuius initium, ineffabilis prouidentia. Tandem successit Paulus ipse II. qui hominum miserias crebriora remedia, his nouissimis temporibus, quibus charitas ardorque pœnitentiæ summopere refriguit, exposcere intelligens Iubilæorum

curri-

curriculum reduxit ad vigintiquinque annos, vt liquet ex prædi-
cta eius bulla, Ineffabilis prouidentia, sed morte præuentus non
vidit annum illum, quare eius successor Sixtus IV. indictum a
Paulo II. Iubilæum ipse celebrauit, vt apparet ex eius extraua-
ganti, quæ incipit, quemadmodum &c. iamque ab illo tempore
ad hanc vsque diem annus vigesimus quintus obseruandis Iubilæis
statutus, fixus remansit, vt sic homines, qui in peccatorum serui-
tutem, & captiuitatem frequentius crescente malitia mancipantur:
facilius soluantur, saltem bis in vita plerisque fidelibus, San-
cti Iubilæi fructus percipientibus. Quia autem in nu-
meris non desunt etiam mysteria sua, circa hunc
annorum numerum diuersum, quibus Iubi-
læum permutatum fuisse diximus potest
consuli Hieronymus Lauretus in
Sylua Allegoriarum, in appen-
dice de Allegorijs numero-
rum, Bensonius lib. 3.
de anno Iubilæi
cap. 6.
Et Petrus Bongus de my-
stica numerorum si-
gnificatione.

† † † †
† † †
†




CON-

CONTROVERSIA IV.

De Ceremonijs, ac ritibus, qui tam in principio, quam in decursu, & fine anni Iubilæi Romæ obseruantur.

CAPVT I.

Quod Romæ potius, quam alibi rationabiliter Annus Iubilæus celebretur.



Vamuis Romani Pontifices de plenitudine suæ potestatis possent absolutè alibi, quam Romæ anni sacri, vel sancti Iubilæi celebritatem indicere, semper tamen consueuerunt in Romana ciuitate id facere, etiamsi ab ea absentes essent, vt contigit tempore Translationis Curiæ Romanæ in Galliam à Clemente V. Guascono factæ Anno 1305. vsque ad annum 1376. quo Gregorius XI. curiam iterū transtulit in Vrbem. Nec sine grauissimis rationibus Romæ potius, quam alibi celebranda videtur Iubilaris Indulgentia, ac solemnitas. Primò, vt vbi Petrus, & Paulus gloriosè occubuerunt, eorumque ossa in Sacrosanctis Basilicis summa veneratione, ac regali munificentia condita sunt, ibi ex eorum, & Christi meritis flumina indulgentiarum, ac gratiarum in peregrinos ea visitantes, ac honorantes propius, & vberius diffunderentur. Et si enim Vdelricus Velenus Lutheri sectator decem & octo argumentis persuadere contendat, nec Petrum nec Paulum Romæ, sed Hierosolymis occisos esse, quem errorem sequutus est Vrbanus Reigers, & Sebastianus Francus, & ante ipsos docuit Guillelmus quidam Ioannis Vviclefi Magister, vt refert Thomas Vvaldensis lib. 2. doctrinalis fidei art. 1. cap. 7. Cardinalis tamen Bellarminus ita falsitatem illius sententię demonstrat adductis hinc inde Sanctorum Patrum testimonijs, vt esset actum agere aliquid hic amplius addere. Vnde etiam Caluinus lib. 4. instit. cap. 6. §. 15. tot ac tantorum scriptorum autho-

authoritatibus conuictus Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum Romæ fuisse, ibique martyres occubuisse fatetur.

Secunda ratio desumi potest ab Romanæ Ciuitatis præcelléti dignitate, qua summus in Ecclesia Pontificatus coniunctus est, cum Ecclesia Romana, ita vt idem sit Episcopus Romanus, & Papa, seu Pontifex Maximus Christi Vicarius in terris, sanctique Petri Successor, qui fuit primus Papa, & Episcopus Romæ, iureque diuino Primatum inter Apostolos obtinuit, vt ædificatio Ecclesiæ à Christo Domino super ipsum tãquam super solidissimam Petram, & actualis exhibitio clauium regni Cælorum euidenter demonstrare videntur. Quo etiam iure Summi Pontifices Romani S. Petri in Pontificatu Successores primatum vniuersæ Ecclesiæ habent vt enim Petrus non alia authoritate, quam à Christo accepta Ecclesiam suo tempore gubernauit, sic neque Successor eius (Siquidem supponimus debuisse aliquem in supremo Pontificatu D. Petro succedere, vt Ecclesia in eadem forma regiminis immutabiliter permaneret, huncque esse Romanum Pontificem) alia quam Christi authoritate Ecclesiam reget, ac gubernabit. adde, quod qui instituit Pastorale quoddam officium stabile, & perpetuum, non tantum primo cui visibiliter istud officium committit, authoritatem confert, sed etiam omnibus, quot quot futuri sunt illius Successoribus; at Christus pastorale officium in perpetuum stabiliuit. ergo eodem iure, quo Petrus Summus Pontifex, qui nunc sedet, Innocentius Decimus, & qui toto futuro tempore sessuri sunt, rempublicam Christianam administrabunt. Et in hac veritate tanquam propositione fidei vnanimiter conueniũt omnes Doctores Catholici, & Orthodoxi, quamuis inter illos sit controuersia, an iure diuino Primatus ita Ecclesiæ Romanæ conueniat, vt quicumque est Episcopus Romanus, sit etiam iure diuino Summus Pontifex. Sotus enim in 4. distinct. 24. q. 2. art. 5. Caietanus tract. 2. de comparatione Pontificis, & Concilij c. 22. & in opusculo de Rom. Pontif. institutione cap. 13. Bellarminus tom. 1. lib. 4. de Romano Pontifice cap. 4. existimant non esse de fide à Romana Ecclesia non posse separari Apostolicam Sedem, cum neque scriptura, neque traditio id habeat, sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, vt inde auferri non possit.

Et omnia testimonia Pontificum, & Patrum, qui dicunt Romanam Ecclesiam errare nõ posse, possent exponi de Romana Ecclesia donec in ea Apostolica Sedes permanet, non autem absolutè, & sim-

simpliciter. Vnde iuxta hanc sententiam dicendum est iure diuino non esse annexum supremum Pontificatum Episcopatui Romano, sed tantũ ex facto D.Petri qui cum primatũ à Christo accepisset Antiochenam sedem deseruit,& Romę sedem suam vsq; ad mortem figere voluit,ideoq;docent prædicti authores Ecclesię cõstitutione fieri posse, vt sũmus Pontifex sedem Romanam cum altera mutare, seu alio transferre possit, aut etiam nulli se Sedi mancipare, & addicere instar Pauli, qui nusquam sedem statam, & fixam habuit, necnon D.Petri,quando est à Christo institutus, nulli enim Episcopatu i in specie tunc erat addictus, ita tamen, vt vbicumque contingat eum degere supremus Antistes dici, ac haberi debeat.

Alij vero, vt Turrecremata lib.2. de Eccles. c.40. Gregorius de Valentia in analysi Catholicæ fidei lib.7. cap.12. Bensonius de Iubil lib.3. c.9. probabilius sentiunt, quam etiam sententiam piam, & probabilissimam appellat Bellarminus loco citato, iure diuino Episcopatui Romano primatum Eccles. annexum esse, ita vt alio transferri, aut ipso carere non possit; ita vt vbicumque contingat eũ degere semper Romanus Antistes maneat, nec vllus alius huius Vrbis Episcopatum in solidum, & titulariter possit obtinere. Sic quando septem Summi Pontifices Galli Clemens V. Ioannes XXI. seu XXII. Benedictus X. Clemens VI. Innocentius VI. Vrbanus V. & Gregorius XI. residentiam suam Auenione in Gallia per spatium 73. annorum fecerunt, translatio fuit Curiæ & personarum, non dignitatis Pontificatus, ita quod dignitas pontificatus semper remansit in illis Pontificibus coniuncta Eccles. Romanæ, vt videre est in Bullis Pontificijs præsertim in Concilio Viennensi per ipsum Clementem Quintum celebrato, Clement, de iureiur. quæ ita habet: *Romani Principes orthodoxa fidei professores sacrosanctam Romanam Ecclesiam cuius caput est Christus Redemptor noster, ac Romanum Pontificem eiusdem Redemptoris Vicarium feruore fidei, & clara deuotionis venerantes, &c.* Ob hanc ergo præcellentem Eccles. ac Ciuitatis Romanæ dignitatẽ conuenientissimum fuit, vt non alibi quam in ipsa Iubilares indulgentiæ, ac solemnitates celebrarentur.

Accedit tertio sanctitas loci, vt vere Vrbs sancta Roma appelletur, tum quod omnia ferè sacra, quæ ad Christianam religionem spectant, ex alijs mundi partibus præsertim ex Hierosolymis, eo transportata sanctissime, ac pijssime custodiantur. Præterea Apostolorum Reliquiæ Romæ quamplurimæ habentur, Martyrum,

Sanctarumque mulierum corpora plura ibi, quam alibi requiescũt tandem fuit semper sanctissimorum etiam, ac religiosissimorum Virorum mater fœcundissima, vt merito Hieronymus in proœmio in secundum librum Commentariorum ad Galatas dicat Romanæ plebis laudatur fides, vbi alibi tanto studio, & frequentia ad Ecclesias, & Martyrum sepulchra concurritur. Vbi sic ad similitudinem Cęlestis tonitrui, Amen reboat. Et vacua Idolorum templa quatiuntur, non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Eccl. sed quod deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum. Hęc Hieronymus.

Quod ergo Lutherus, alijque nostri temporis Hęretici Ecclesię, ac Ciuitatis Romanæ hostes infensissimi audacter, ac impudenter illam appellent alteram Babylonem magnam; & purpuratam meretricem, nequaquam debet intelligi de Ecclesia Romana, vel Sede Apostolica, aut Roma Christiana, sed de Roma Ethnica, Idololatraque, ac infideli, sanguine Martyrum ebria, Christianos persequente, vt interpretatur D. Ambrosius in cap. 17. Apocalypseos. Hieronym. in ep. 151 ad Algasiam quæst. 11. alijque plures, quos refert Ribera in Apocalyps. Verum postquam quæ erat magistra erroris, per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta est, latius præsidens religione Diuina quam olim dominatione terrena, postquam Beatorum Petri, & Pauli, totque sanctorum Martyrum effuso purpurata est, ac coronata pretioso sanguine, non amplius calicem aureum execrandarum superstitionum, sed plenum religione, varijsque gratiarum donis sacro præsertim Iubilæi tempore, omnibus mundi fidelibus propinat, vt inde absque auro, & argento bibentes reficiantur, salutemque suam ex sanctorum Martyrum, & Christi passionum virtute consequantur. Quis ergo optima ratione Spiritu sancto dirigente sacri Iubilæi solemnitatem Romę institutam fuisse negabit?

Adijcitur quarto, quod Roma, si vnquam, modo verius sit communis omnium mater, ac patria, in qua omnes fere nationes proprias habeant Ecclesias, Hospitia, Xenodochia, Sacerdotes, & ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, proprios cuilibet illarum Protectores, ac defensores, qui ex proprijs bonis aduenarum, indigentium, & peregrinorum necessitatibus affluenter succurrere possunt, & solent, vt quispiam non falsò dixerit:

Hospitibus mater, natis Vrbs Roma Nouerca
Plena das externis vbera, sicca tuis

Pręter

Præter ergo commune Hospitium sanctissimæ Trinitatis prope Pōtem, qui dicitur Xisti, à Xisto Quarto Pontifice Maximo eius Structore, in quo quibusdam Iubilæi annis quandoque vna nocte enumerati fuerunt quindecies mille Hospites, & si rationes totius anni subducantur, inueniuntur Hospitio exceptos fuisse quingenties mille. Præter Hospitium Pauperum Sacerdotum peregrinorum, in quo excipiuntur per mensem & vltra si opus.

Primum Nationale quod occurrit est Teutonicum Virgini sub titulo de, Anima, dicatum, quod anno 1350. originem habuit sedente Clemente VI. & imperante Carolo Quarto, ex causa Iubilæi à quibusdam Teutonibus, qui cum prole carerent, proprias ędes Hospitalitati peregrinorum, qui e Prouincijs Imperio subiectis Romam venirent, destinarunt.

Germanico succedat Gallicum Diuo Ludouico Galliarum quondam Regi sacrum, quod habuit initium ante multos annos, quorum principium non est in hominum memoria.

Hispanicum initium habuit anno à Christo nato 1450. authore Alphonso quodam de Paradinas, qui vt ex eiusdem tumuli inscriptione apparet, templum Diuo Iacobo Hispaniarum Patrono, ac Ildefonso Toletano, & iuxta illud Hospitium statuit, ad circum Agonis.

Lusitanicum sub Nicolao V. Pontifice Maximo anno 1450. primum ex ædificatum auctore fœmina nomine Ioanna de Vlyssipone postea vero sub inuocatione D. Antonij de Padua D. Antonij Cardinalis Portugallensis pietate, ac munificentia coemptis pluribus domibus amplificatum.

Anglicum sub Bonifacio IX. anno Domini 1398. originem suam habuit authore Ioanne SKopando Anglo tunc vrbis Incola, sed ab alijs Nationalibus breui suscepit incrementum.

Flandria, siue inferioris Germaniæ prouincia suum etiam Hospitium Romæ, longè ante quingentos annos suscipiendis pauperibus peregrinis ędificauit, eique templum D. Iuliano Patrono tutelari sacrum adiecit: Robertus Comes Flandriæ cum Hierosolymas sub Vrbano Secundo anno 1194 Romam pertransiens tenderet, hospitium lapsum restaurauit, ac census accessione ampliauit. Hispania citerior, quæ hodie continet Valentiam Aragoniæ regnū, Cataloniam, Insulas Baleares, & Sardiniam diuersa à Castellanis Congregatione instituta, primum de anno 1495. & deinde de anno 1570. Hospitium extruxit, & templum Deipara Virgini titulo

Montis Serrati sacrum, vbi recipiuntur hospites ad instar aliarum nationum.

Hungaricum etiam habetur Romę Hospitium à S. Stephano Rege fundatum, hic enim cum baptismatis lauacro anno Domini 987 regeneratus Hierosolymas, Constantinopolim, & Romam magno totius regni Nobilium numero comitatus inuiseret in singulis dictis Vrbibus hospitia subditis suis, qui eadem loca visitarent, regali munificentia, ac pietate ędificauit, Romæ quidem in ipso Vaticano prope Basilicam sancti Petri.

Bohemia Hungarię propinqua prouincia suum etiam habet Hospitium Romæ ędificatum à Spironco ex Duce primo Rege, qui noua Maiestate lætus sub anno 931. Vrbem accedens, hospitium popularibus suis fundauit, quod iam ruinosum Carolus Quartus Augustus sub anno 1397. pristino nitori restituit, nouoque superaddito censu ampliauit, vt apparet ex inscriptione.

S. Brigitta cum pietatis causa Romam circa ann. Domini 1344. venisset inter reliqua religionis monumenta Genti suæ fundauit hospitium prope campum Floræ in ijsdem quas inhabitabat ędibus cuius inscriptio.

Hospitale Sueuorum, Gothorum, & Vuandalorum.

Scoti Romę hospitium habent in Campo Martis, illique iunctum Saçellum D. Andreæ Regni Patrono dicatum. Cum Mahometes Octauus Turcarum Imperator, siue tyrannus, Constantinopoli expugnata, vniuersam Gręciam, ac Illyricum illi contiguũ ferro, & flamma deuastasset, Romę à tribus Illyricorum Episcopis primum fuit exædificatum hospitium, quo Nationales Romam tanquam vnicum oppressorum, quidquid Sectarij obblatrent, refugium venientes reciperentur. quod postea Sixtus Quartus Pontifex Maximus amplissimis donauit beneficijs templumq; iuxta illud D. Hieronymo sacrum fecit, quod honoris causa Cardinalatus titulo decorauit. Illud deinde Sixtus Quintus, quia illi in titulum obuenerat deiecit, ac alterum Augustius è Tiburtino lapide magnificentissime à fundamentis extruxit.

Insubres, siue Longobardi hospitium & templum D. Ambrosio Archiepiscopo, Mediolanensi sacrum fundarunt Romæ anno Domini 1471. sub Sixto Quarto Pontifice Maximo.

Liguri, seu Ianuẽses Meriaducis Cicadæ nobilis Ianuẽsis Sixti IV. Pontificis Maximi quæstoris nummularij pietate hospitium primo recipiendis Pauperibus Nautis destinatum habuerunt sub an. 1483

quod

quod religiosam opus valde postea promotum fuit anno Dom. 1551. à Ioanne Baptista Cicada S. R. E. Cardinali, qui hospitalitatem a Nautis ad omnes Ligures cuiuscunque tandem sint conditionis, & professionis viros, & mulieres liberaliter extendit.

Britones Galli suum etiam peculiare habent hospitium D. Iuoni Trecorensi dicatum, vbi recipiuntur quotquot recenter Romam tam viri, quam mulieres ea e natione veniunt.

Sed nec Indi in hac communi patria destituuntur hospitio, quod assignauit eis in ipso Vaticano Clemens eius nominis VII. cui Gregorius liberaliter addidit, vt victui necessaria e Palatio Apostolico Hospitio splendide erogarentur, nullumque hospitibus ob ingentem distantiam prescribitur manendi tempus, sed si perpetuo manserint, perpetuo aluntur.

Cum prius Armeni, qui Romam veniebant hospitarentur cum Indis, post aduentum Sepher Abagari Armeni gentis suæ Oratoris, ad Pium IV. Pontificem Maximum idem Pontifex anno Dom. 1564 Genti Armenæ assignauit hospitium prope Insulam Tyberinã, quod cum Pius V. successor in Hebræorum septo occlusisset Greg. XIII. ne ijsdem muris Christiani, vna cum Hebræis continerentur, Armenos transtulit ad Ecclesiam non longè inde distantem S. Mariæ Aegyptiacę sacram, ibidemque genti hospitium construxit, censuq; ampliori adauxit.

Tandem Stanislaus Hosius Cardinalis Varmiensis, cum videret nullam adeo remotam àb Vrbe gentem esse, quæ in ea templum, & hospitium non haberet, ijs propriam carere non passus, obtenta prius à Gregorio XIII. licentia Polonis suis Ecclesiam, & hospitiũ, quod viuens non potuit testamento iussit a fundamentis ex ædificari, & Saluatori ac Diuo Stanislao dicari.

Verum quia hospitalitas non solum in suscipiendis peregrinis, sed etiam in curandis ægrotis maximè elucet præter innumera curandis ægrotis communia hospitia, in quibus rectè subducto numero sternuntur quotidie lectuli mille quingenti, qui inualescente morbo etiam augentur. Plures insuper nationes pauperibus suis in hoc pietatis officio particulari cura prouisum voluerunt vt Galli in hospitio S. Ludouici, Castellani in hospitio S. Iacobi, Flandri in hospitio S. Iuliani, Lusitani in hospitio S. Antonij; Insubres in hospitio SS. Ambrosij, & Caroli, Ianuenses in hospitio S. Ioannis Baptistæ: Armeni in hospitio S. Marię Aegyptiacę: Arragonenses in hospitio Virginis de Monserrato, Britones in hospitio S. Yuonis,

Illi-

Illirici, & Dalmatę in hospitio S. Hieronymi. His accedunt Pergamenses qui fundarunt templum, & hospitium D. Bartholomæo, & Alexandro sacrum, vbi excipiuntur ægroti nationales: Florentini idem præstiterunt non longe ab eorum templo S. Ioannis Baptistæ; & Senenses apud templum D. Catharinæ Senensis via Iulia.

Quis ergo tot inter, aliaq; quamplurima Christianæ pietatis, ac charitatis domicilia non videat conuenientissimè Iubilares Indulgentias fuisse Romæ institutas, vbi in recipiendis hospitibus, curãdisquè ægrotis quoquo tempore sed præsertim anno Iubilæi talis est munificentia, vt vix fidem inueniat apud absentes. Vnde igitur tot gentibus inuisum nomen? an ne quia summa beneficia non possunt nisi summa ingratitudine rependi? ait Theodorus Amydenus in suo libello de pietate Romana, vnde prædicta breuiter collegimus.

Quinto tandem, & vltimo Romę solum pœnitentiariæ cunctarũ linguarum Germanię, Gallię, Hispanię, Belgicę, Græcę, Illiricę, Aethiopicę, Aegyptiacę, Arabicę, & cæterarum erectæ sunt, quarũ peritia cum necessaria sit ad audiendas peregrinorum confessiones, qui ex omnibus terrę Prouincijs, pro obtinenda Iubilæi Indulgentia ad vnum locum conuenire debent, nusquam potuit commodius institui, quam Romæ.

CAPVT II.

De Indictione, & Incohatione Anni Iubilæi Romæ.

APpropinquante iam Sacri Iubilæi Anno, Romæ in Basilica Vaticana Principis Apostolorum, cui singulariter à Domino dictum fuit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, in duobus suggestibus conciñnè in hunc finem ornatis, inter Missarum solemnia, ipso sacro die Dominicę Ascensionis eundẽ Iubilęum proxime pręcedenti, qui est dies exultationis, ac lętitię; ascendit enim Deus in iubilo, & Dominus in voce tubę, leguntur publicè latino, ac vulgari Sermone Summi Pontificis diplomata, quibus annus Iubilęus denuntiatur, & promulgatur, atque illico in quatuor diuersis Vrbis partibus affiguntur, vt cunctos Christianos à quatuor mundi partibus Romam ad ipsius Iubilęi celebritatem conuocari significetur.

Quia

Quia autem supra diximus in quolibet vigesimo quinto anno solemnitatem anni Iubilęi celebrari, nunc breuiter aperiendum est, in qua die, quaque hora huiusmodi celebritas principium habeat; hac enim in re diuersimode locuti videntur Summi Pontifices.

Bonifacius VIII. qui primus, vt notauimus, Iubilęi bullam promulgauit, decreuit in illo suo millesimo trecentesimo, à festo Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi initium ducere: quod idem sanciuit Clemens VI; in sua extrauaganti, in quibus licet hora non determinetur, dies tamen certus prescribitur, & similiter in eodem die natiuitatis subsequentis anni finem suum.

Paulus II. & Sixtus IV. à vigilia Natiuitatis Domini Iubilęum incipere in suis Bullis decreuerunt, ita vt finem etiam sumeret in vigilia eiusdem Natiuitatis subsequentis anni, sed neque isti horā certam prescripserunt Alexander in sua bulla, quę incipit, *Inter curas multiplices*, ad omnia dubia tollenda, Apostolico oraculo declarauit, ipsum annum Iubilęi in vigilia, à primis Vesperis Natiuitatis eiusdem Domini Nostri Iesu Christi incohare; quod etiam Gregorius XIII. in sua bulla Iubilari anni 1575. expressit Et Clemens VIII. in sua anni 1600. Et quamuis dictus Clemens VIII. penultimum Iubilęum secularem anni millesimi sexcentesimi inchoauerit solum in festo S. Syluestri die vltima Decembris anni 1599. quia erat morbo prępeditus, attamen in Bulla Indictionis initium statuerat à primis Vesperis Dominicę Natiuitatis.

Vnde iam nisi aliquod esset impedimentum, vt si sedes vacaret illis diebus, sicut contigit Iulio III. anno Domini 1550. qui in die S. Matthię Apostoli, circa horam, in qua hora tertia decantatur, Portam Sanctam aperuit, & Iubilęo illius anni principium dedit, durauitque vsque ad Epiphaniam sequentis anni, vt refert Platina in eius vita, iam inquam de stylo, & consuetudine Curię Romanę semper in vigilia natiuitatis Domini, cum primum vesperæ incipiūtur, certum est Iubilæum Anni Sancti inchoare, nec immeritò, cum semper hic dies apud Christianos in speciali fuerit honore, verbumque incarnatum tunc primum visibilliter nostram salutem operari incęperit.

Quia autem præpositio, A, secundum suam propriam significationem solet excludere tempus, cui adiungitur, ita quod dies, cui annectitur, non computetur in termino, possit alicui suboriri dubium, an cum dicitur in Bullis Indictionis Iubilæi, à primis vesperis, vel à vigilia natiuitatis, intelligatur exclusiuè. Pro quo breuiter

uiter dico præpositionem, a, tam in diuinis Scripturis, quam in alijs libris sumi in vi præpositionis *in*: & quando sic præpositio, a, pro, in, ponitur non excluditur dies, cui annectitur sed potius ille in termino computatur; Vnde cum ad hunc modum sint intelligenda verba Bullarum, dum dicunt à Vigilia, vel à primis Vesperis Natiuitatis, id est, in primis vesperis, inchoare Iubilæum, nemini dubium esse potest, quin per apertam portam Summo Pontifice iam ingresso, & ab ipso apud altare maius vespertinis precibus inchoatis ex tunc statim incipiant currere Indulgentiæ, aliæque gratiæ Anni Sancti.

CAPVT III.

De sacris Cæremonijs, quæ in apertione Portæ Sanctæ fiunt.

SVppono tanquam certum aduersus Sectarios, non solum superstitiosum non esse, vt ipsi obijciunt, sed religiosissimum sacrarũ Cæremoniarum vsum, si quidem cæremoniam appellamus externũ ritum, seu actum interno correspondentem ad Dei cultum, & honorem institutum, & exhibitum, cuius vtilitatem, ac necessitatem in Ecclesia Catholica ex sacrarum litterarum testimonijs, Apostolorum traditione, Sanctorum Doctorum authoritate, ac denique grauissimis rationibus luculenter demonstrat Cardin. Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, alijque recentiores controuersistę, & ad tertiam partem S. Thomæ q. 64. Theologi. Vnde non est mirum, si ad maiorem anni Iubilæi solemnitatem, tot in inchoatione, in decursu, & in fine ipsius sacræ adhibeantur cæremoniæ, nunc breuiter agamus de illis, quæ in inchoatione Iubilæi, seu apertione Portæ Sanctę fieri solent.

Adueniente ergo vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi post meridiem hora vesperarum, à Capella Palatij Apostolici instituitur processio, in qua præcedentibus Cardinalibus cum Prælatis, & alijs officialibus suis, quibusque vestimentis ornatis, vna cum Candelis accensis in manibus, Summus Pontifex defertur in Sella gestatoria indutus cum suo pluuiali, vsque ad Portam Sanctam, quę adhuc obstructa apparet, & omnes aliæ portę Ecclesię sunt clausæ, eoque iam omnibus congregatis descendit Papa, acceptaque candela

dela sua accensa, ascendit ad aliam Cathedram ibi paratam iuxta Portam Sanctam cum tribus gradibus, sedet in ea aliquantulum, moxque ab ea descendens accedit ad Portam Sanctam, præferens manibus malleum argenteum, quo ter percutit murum portę aperiendæ, terque versus, *aperite mihi portas iustitiæ*, & sequentes præcinit, cui Cantores in singulis respondent. Deinde Papa ad Sedem redeundo dicit orationes in Rituali Romano contentas, murarijs fabris, ac Ministris interim summa celeritate demolientibus portæ Sanctæ murum, cuius reliquiæ deuotionis causa à populo cum maxima auiditate asportantur, Sicque strato muro Pœnitentiarij induti præsbyteralibus vestimentis, sumpta aqua benedicta lauant postes portę Sanctę.

Aperta Porta Sancta, & lota in hunc modum, antequam Papa ingrediatur dicit versum, *hæc dies, quam fecit Dominus &c.* & orationem Deus qui per Moysen &c. Cantoribus respondentibus; deinde datur Crux in manu ipsius, qui genuflexus ante Portam Sanctam præcinit *Te Deum laudamus*, & ingreditur Portam Sanctam, prosequentibus Cantoribus *Te Dominum confitemur &c.* Ingressus Papa ponitur in sua Sella, in qua defertur per Parafrænarios, vsque ad Altare maius ipsius Ecclesiæ S. Petri, & ibi ex Sella descendens orat ante Altare, quo facto ad cathedram ibi editiori in loco paratam ascendit, vbi stans incipit vesperas consuetas Natiuitatis, missis eadem die, & hora tribus Cardinalibus Legatis ad aperiendas alias portas Sanctas Ecclesiarum S. Pauli, S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Maioris: quod prestant easdem omnino cæremonias ac preces adhibendo. omnesque hæ portę per totum annum Iubilæi referatę, ac apertę remanent.

Quamuis autem Gregorius XI. & deinde Pius V. in sua constitutione quæ incipit, *Infirma*, sanciuerint Ecclesiam Lateranensem, omnemque Clerum dictę Basilicę super omnes alias Ecclesias vrbis, & orbis primatum, præeminentiam, superioritatem, & pręcedentiam in processionibus solemnibus & decretis, cæterisque omnibus actibus publicè & priuatim habere, cum sit suprema Sedes Romani Episcopatus, ac Pontificatus, nihilominus Canonizationes Sanctorum, Imperatorum, ac Regum excommunicationes, benedictiones, & similia, regulariter in Basilica S. Petri fiunt. Similiter anno Iubilęi, Porta Sancta D. Petri ante omnes alias aperitur; quod indulgentia Iubilęi, si antiquitatem eius contemplemur, in solius Vaticanæ Basilicæ gratiam introducta fuit, ita vt hęc Basilica &

apertio eius Portę sanctę, vt quid principale, cæterę vero, vt quid adiunctum, maioris deuotionis, ac religionis causa, esse videantur.

Verum cum apertio Portę Sanctę peculiaris sit Anni sancti Cæremonia, & actio, per quam omnes veluti spirituales effectus sacri Iubilęi aptissima quadam proportione, & analogia mystice designantur, inquiret aliquis, vnde hic ritus aperiendi, & claudendi portam sanctam originem suam habuerit, qua ve ratione porta illa sanctitatis nomine decoretur.

Respondeo breuiter hunc ritum aperiendi portam sanctam præsertim Basilicę S. Petri antiquissimum esse; non recentem, vt male opinatus est Panuinus, desumptusque videtur ex vetustissima illa maiorum nostrorum consuetudine, qua, vt legitur in Concilio Agathensi 1. & habetur in decretis dist. 50. canon. in capite quadragesimæ, Pænitentes, ac publicarum pœnitentiarum rei solebāt in principio quadragesimę expelli, palamque arceri ab Ecclesię limitibus, insequente eos Diacono, ac canente responsorium, ***In sudore vultus tui vesceris pane tuo***, qui etiam illis denuntiabat, quod sicut Adam eiectus est de Paradiso, ita & ipsi pro peccatis ab Ecclesia expelluntur; & sicut ille ob peccatum meruit a loco voluptatis separari sic peccatores indignos esse, qui in domo Domini permaneant, vbi veri fideles de torrente voluptatis diuinorum Sacramentorum ad satietatem potantur. Vnde quem admodum positus fuit Angelus ad portas Paradisi cum ignito gladio ad prohibendum primorum Parentum regressum, ita claudebantur quoque Portæ Ecclesiæ huiusmodi pœnitentibus iam expulsis, vt via, & ingressus ob peccata illis impeditus ostenderetur, hisque signis videntes Ecclesiam sibi ob perpetrata facinora indignatam, non parui penderent imponendas pœnitentias.

In die vero Cœnæ Domini à Decanis, ac presbyteris facta absolutione, apertisque portis, prædicti pœnitentes in Ecclesiam introducebantur, in signum, quod pœnitentiæ, & satisfactioni operam dantibus, sublata essent peccatorum obstacula, & licet in Ecclesia starent, cum alijs tamen fidelibus non communicabant, nec in SS. Eucharistia, nec in osculo pacis, vt habetur in Can. Cœna de consecrat. distinct. 2. & sic permittebatur illis stare in Ecclesia vsque ad octauam Paschæ. Quod si satisfactio, aut pænitentia nondum absoluta fuisset, tunc iterum post Paschæ octauam exibant de Ecclesia, extra quam manebant vsque ad similem diem sequentis anni, & hoc repetebatur vsque ad complementum pœnitentię, vnde aliqui

qui quandoque vſque ad finem vitæ extra Eccleſiam in atrio, qui proprius erat pœnitentium locus, permanebant, vt dicitur in Can. *admonere* 33.quæſt.2. Hunc antiquum Eccleſiæ vſum refert quoque Burchardus lib.19 cap.26. Iuo par.15. cap.45. ſeriatimque & ex ordine ponitur in Pontificali Romano; ſecundum proculdubio traditionē Apoſtolicę doctrinę, quę in lib.2. de conſtitutionibus Apoſtolorum cap.16. ſic ſcripta eſt; *Cum vero deliquiſſe videris, iube eijci foras, acerbe ferens, de quo eiecto doleant item diaconi, qui eum obſeruent, & extra Eccleſiam contineant, ijdemque in Eccleſiam poſtea ingreſſi, pro eo te rogent. etenim Saluator noſter pro ijs, qui peccauerant Patrem precabatur vt eſt in Euangelio ſcriptum* Luc.23. *Pater*, inquit, *ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt. Poſtea iubebis ingredi, & facta examinatione, an pœniteat, ſitque dignus, qui in Eccleſiam ex toto admittatur: caſtiga illum ieiunijs duarum aut triū, aut quinque, aut ſeptem hebdomadarum, vt delicti genus, & ratio popoſcerit*. Hęc ad litteram ibi. Ab hoc ergo Sanctiſſimo inſtituto Eccleſia recepit probatiſſimam hanc, portas aperiendi, conſuetudinem in plenario Iubilęo, qui pœnitentijs publicis pręſertim ſucceſſit. Cum enim primi Chriſtiani, non ita frequenter peccarent, ſaltem mortaliter, vel ſi quando peccaſſent ad peccata vindicanda, ſeuerior eſſet Eccleſię diſciplina in imponendis pœnitentijs, ac ſatisfactionibus, conceſſis propterea rarius Indulgentijs, ac Iubilęis; recedentibus poſtea, ne dicam abhorrentibus ab illo rigore Chriſtianis, neceſſarium fuit frequentius per Iubilęorum conceſſionem aperire Theſaurum Indulgentiarum, quibus cum Canonicę, & alię quoque pœnę vniuerſaliter, ſiue iniunctę, ſiue non iniunctę remittantur, adhuc ſignificandum, conſtitutis quamplurimis fidelibus ante fores Eccleſię Sancti Petri, ac vt verè pœnitentes ſe gerentibus, clauſiſque Ianuis, vt in ſtatu pœnitentium poſitos ſe eſſe cognoſcant, Summus Pontifex, prætermiſſa illa antiqua canonum forma in Vigilia Natiuitatis Chriſti clangentibus tubis maxima cū hilaritate, paternoque gaudio ſuper peccatoribus pœnitentiam agentibus, has quatuor maiorum, & Patriarchalium Eccleſiarum portas ſua, & Legatorum ſuorum manu in Vrbe aperit. Vbi etiam notandum eſt ſummo mane in eadem Vigilia natiuitatis Domini, ex præcepto, ac mandato Summi Pontificis omnes portas Baſilicæ S. Petri aliarumque Eccleſiarum deputatarum claudi, ac nemini per illas ingreſſum concedi, quouſque portę ſanctę aperiantur,

quæ hoc nomine insigniuntur, hac presertim ratione, quia qui per eam ingrediuntur, vti conuenit, lucraturique indulgentias Iubilares, debent prius peccatorum sordibus, & inquinamentis per Sacramentalem confessionem purgari, ac emundari. Si quis tamen remoto contemptu, per illam transiret in statu peccati mortalis nouum peccatum mortale non committeret, vt dicemus infra.

CAPVT IV.

De Cæremonijs quæ tam in decursu, quam in fine Anni Sancti obseruantur.

PRæter visitationem Ecclesiarum præscriptarum in Bulla constitutionis Sacri Iubilæi, de qua agemus controuersia 13. toto Anni Sancti decursu solemnissime fiunt non solum exterorum, & peregrinorum, sed etiam Romanorum, vrbisque incolarum processiones, seu supplicationes, quarum antiquitatem, ac necessitatē tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia pluribus demonstrat Cardinalis Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum in die S. Marci 25. Aprilis, & passim Cardinalis Bellarminus tomo 2. controuers. meminitque Socrates lib. 6. histor. cap. 8. & Sozomenus lib. 8, cap. 8. ipsos Arianos solemni pompa, cum crucibus argenteis per mediam vrbem processiones ad instar Orthodoxorum frequentasse, quas tamen Arcadius Imperator prohibuit, edictoq; interdixit illis, ne hymnos publicè canerent, vt habetur in lib. 30. de hæret. Cod. Theod. vbi dicitur. *Interdicatur his omnibus ad litaniam faciendam intra Ciuitatem, noctu, vel interdiu prophanis coire conuentibus, statuta condemnatione centum librarum auri.*


Toto insuper Iubilæi tempore innumera alia egregia, & præclara Romæ prestantur, quorum acta, hoc anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo non deerit aliquis Historicus, qui per singulos menses accurate describat. Et in primis magnificentissimam illam S. Ioannis Lateranensis à Sanctissimo Domino nostro Innocētio X. instaurationem à fundamentis factam, necnon etiam in ornanda S. Petri Basilica nullis parcendo impensis dignam tanto Pontifice religionem, ac pietatem.

Appro-

Appropinquante tandem ipso natalis Domini peruigilio (quæ dies sicut principio, ita etiam fini ipsius anni dicata est, recitatis solemniter vespertinis horis,adeout dies Natalis Domini subsequẽtis anni, licet sanctissimus , & gloriosissimus non sit ex Nauarro pars anni Iubilæi) aliquot ante diebus , publico edicto omnibus promulgatur præscripta die proximè futura vigilię Natiuitatis Dominicę Portam sanctam Basilicæ Vaticanę, à Summo Pontifice,peractis vesperis claudendam esse .

Qua die adueniente solemnis itidem à Palatio Apostolico ad Basilicam S.Petri instituitur processio, vbi primum fusis coram sanctissimo Sacramento precibus, recitatisque solemniter Vesperis, tres Eminentissimi Cardinales à Papa mittuntur ad claudendas portas aliarum Ecclesiarum, qui accepta à Pontifice Benedictione ad eam functionem peragendam cum magna pompa, ac solemnitate equitant. Interim cerei albi accensi Papæ, cæterisque Cardinalibus distribuuntur, & pręcedente cruce suis quique ordinibus ad Portam sanctam claudendam progrediuntur, Papa qui sub vmbella in sede defertur subsequente, & vbi ad altare Sanctissimi Sacramenti deuentum est, Pontifex genuflectens gratias Deo Optimo Maximo peragit ob euolutum iam cum ipsius gloria, & spirituali populorum fructu, Sanctęque Sedis Apostolicę dignitate Sacri Iubilęi annum, moxque accedens ad eum locum, vbi effigies Domini nostri Iesu Christi, Veronica dicta, lanceęque Dominicę cuspis asseruatur, genibus etiam flexis illa adorat. Quo facto plena voce antiphonam quæ incipit *cum iucunditate exibitis*, præcinit & Cantores statim prosequuntur, *Et cum gaudio deducemini nam montes & colles exilient, expectantes nos cum gaudio Alleluia*. Subiunguntque Psalmũ, *Nisi Dominus ædificauerit domum*: omnibus interim processionaliter e Porta sancta egredientibus tum Papa post reliquos; qui egressus, donec Cantores preces persoluant, in suo pręsidet solio; illis finitis, conuersus ad portam deposita mitra, candelam accensam in manu præferens, stans benedicit materiam ibi ad claudendam portam prius præparatam dicens aliquos versiculos, & orationem, deinde aqua benedicta aspergit, & incenso adolet, resumptaque mitra, præcingit se linteo albo, & trulla argentea inaurata à maiori Pœnitentiario sibi porrectâ in manus sumpta, ex calcaria corbe, quam Magister Cœremoniarum pręfert, ter calcem sumit, ac distendit in medio ipso limine primum tum ad dextram, lęuamque, ijsdemque in locis in ipsa calce aurea, argenteaque numismata consepelit, ijsq; qua-

quadratos lapides superponens subsequentem facit benedictionem. *In fide & virtute Iesu Christi filij Dei viui, qui Apostolorum Principi dixit. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, collocamus lapidem istum primarium ad claudēdam hanc Portam, ipso tantummodo Iubilæi anno iterum reserandam In nomine Patris † & Filij † & Spiritus sancti † Amen.* Quo facto à fabro murario deducta funiculo, materiaque in omnem partem concinnè præparata, ac disposita maior Pœnitentiarius trulla ibidem argentea sumpta, alium ipse lapidem super imponit, & à subiectis sibi Pœnitentiarijs adiutus Choro interim canente hymnum *Cælestis Vrbs Hierusalem*, opus in satis magnam altitudinem educit tum Summus Pontifex manibus ablutis subijcit quosdam versiculos, & orationem, qua completa, in solio iterum residet, & dum a murarijs tota obstruitur porta, Chorus cantat psalmos Lauda Hierusalem. Lætatus sum in his &c. aliosque consimiles: tum vniuerso opere perfecto Summus Pontifex benedictionem suam cum plenissima Iubilæi Indulgentia, cunctis impertit præsentibus. Post hæc hymnus, Te Deum, canitur, populusque vniuersus dimittitur Pontifice ad sua sese domicilia recipiente. Sic Anno Sancto finis imponitur Romę, à qua deinde Iubilæus transfertur ad omnes totius orbis partes, vbi tres vt plurimum menses durare solet. Hoc enim exigit charitas Christiana, vt multis fidelibus Romam venire non valentibus, communibus tamen eorum necessitatibus, communi succurratur remedio. Hoc exigit iustitię distributio, vt cum thesaurus Ecclesiasticus sit veluti commune totius Christianę Reipublicę ærarium, omnibus, ac singulis proinde dispensetur. Hoc denique Christianę religionis vnum baptisma, vna fides, vnum denique caput quod est Christus exposcit, vt qui pro omnibus passus est, tradiditq; semet ipsum in oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis ad Ephes. 5. cuncti qui voluerint oblatum remedium salutis accipiant.



CON-

CONTROVERSIA V.

De anno Iubilæi ex parte causæ materialis consideratò.

CAPVT I.

Quod sit in Ecclesia Dei Thesaurus aliquis infinitus principaliter constans meritis, ac satisfactionibus Christi, cui tanquam fundamento innititur potestas concedendi Iubilæos.



VM Indulgentia vt sic, sit applicatio thesauri Ecclesiastici pro remissione pœnę temporalis debitæ peccato, duplicem veluti causam materialem distinguere possumus in Iubilæo, qui nihil est aliud, quam plenissima Indulgentia, ex vna parte est thesaurus Ecclesię: ex alia est pœna temporalis debita peccato. Dum enim in Iubilæo plenissimè applicatur thesaurus Ecclesiæ facienti hoc, vel illud abstrahendo modo ab operibus iniunctis, respectu ipsius, materia est thesaurus applicatus, potestque vocari materia, *ex qua* scilicet fit remissio in Iubilæo; deinde quia per talem applicationem, seu dispensationem fit remissio pœnæ temporalis, tunc respectu eiusdem pœnæ temporalis est materia, non *ex qua*, sed sicut circa quam destruendam, & abolendam versatur Iubilęus, eo fere modo, quo Theologi cum D. Thoma 3.p. q.84. art. 2. dicunt peccata post baptismū commissa esse materiam remotam Sacramenti pœnitentiæ. De hac ergo materia acturi sumus in præsenti controuersia, & primo de thesauro communi Ecclesiæ, qui metaphorice loquendo nihil est aliud, quam copiosissima collectio meritorum, ac satisfactionum Christi Domini, quæ sunt spiritales opes, ac diuitię Ecclesiæ, quibus redimit pœnas temporales nostris peccatis debitas, exibendo eas Deo per potestatem ministerialem sibi à Christo diuinitus traditam.

Fran-

Franciscus Mayronis Doctor Catholicus in 4. Sentent. dist. 19. quæst. 2. videtur negare thesaurum, cui innitantur Indulgentię: etsi enim facultatem remittendi pœnas temporales post absolutionem à peccatis Ecclesię non deneget, vult tamen summum Pontificem, & Pręlatos id præstare simpliciter, & ex authoritate sua, nulla penitus ex communi thesauro, seu ęrario, solutione interueniente, ad eum ferè modum, quo Princeps propter plenitudinem potestatis per meram condonationem absque vlla solutione potest omne debitum alicui relaxare.

Cæterum Martinus Lutherus, Caluinus, alijque huius temporis Sectarij sic vt vsum indulgentiarum, ita & communem Ecclesiæ thesaurum, seu cumulum, tanquam nouum figmentum omnino negarunt.

Indubitata nihilominus fide credunt omnes Orthodoxi exstare in Ecclesia certum aliquem thesaurum, quem cumulum, seu coaceruationem meritorum, & satisfactionum Christi appellamus, ex quo pretium, seu compensatio pro pœnis temporalibus post absolutionem peccatorum relictis, depromitur.

Probatur primo ex dictis supra. Indulgentiarum vsus est de fide, seu quod idem est, Christus reliquit Ecclesię Sponsæ facultatem ac potestatem remittendi non solum in Sacramentis, sed etiam extra Sacramenta pœnas temporales peccatis iam per gratiam remissis, ac condonatis debitas. Ergo etiam debet dari in Ecclesia thesaurus communis principaliter constans meritis, ac satisfactionibus Christi, cui huiusmodi indulgentiarum vsus pœnæque temporalis, relaxatio innitantur, tanquam fundamento; siquidem omnis remissio peccati quomodocumque, hoc est, tam quoad culpas, & maculas, quam quoad pœnas temporales debet fieri in primis virtute, & beneficio Passionis Christi, vt patet cum alijs sacrę Scripturę locis, tum præsertim Isaię 53. Act. Apost. 4. ad Rom. 3. ad Eph. 1. ad Hebr. 9. vbi Christus, *Semel oblatus* dicitur, ad multorum exhaurienda peccata, & 1. Ioan. 2. vbi Ioannes ait, *Ipsum esse propitiationem pro peccatis nostris, non solum autem nostris sed etiam totius mundi.*

Probatur 2 ex decreto quod Clemens VI. paulo post obitum supradicti Francisci Mayronij edidit in constitutione, quæ incipit, *Vnigenitus*. Vbi dicitur Christum per copiosissimam sanguinis sui effusionem thesaurum Ecclesiæ militanti reliquisse. Et Leo Decimus in bulla contra Lutherum damnat hunc articulum ipsius: *Thesau-*

Thesaurus Ecclesiæ, vnde Papa dat indulgentias, non est Christi, & Sanctorum.

Tertio Apocalypseos 21. passimque in Euangelio Ecclesia Ciuitati comparatur, ac regno. Sed in Ciuitate, ac regno bene instituto publicum ęrarium esse oportet, vt cum necessitas exigit, liberales ex eo fiant in vtilitatem Ciuium distributiones; sic ergo decebat suauitatem diuinę Prouidentiæ, vt relinqueret in Eccles. thesaurum spiritualem meritorum, ac satisfactionum Christi Domini, vnde spiritualibus fidelium necessitatibus succurreretur.

Quarto per thesaurum indulgentiarum nihil aliud intelligunt Catholici, quam cumulum, seu coaceruationem meritorum & satisfactionum Christi Domini pro nobis, at certissimum est dari huiusmodi merita, & satisfactiones, cum Christus vere pro nobis passus, pro nobis mortuus sit, & ad remittenda peccata totius mūdi, tam secundum culpam, quam secundum pœnam, hæc omnia ab ipso, sicut, & ab eius patre relata sunt, ac ordinata: ita vt deinceps sola applicatione horum meritorum, & satisfactionum egeamus. ergo reuera extat thesaurus aliquis in Ecclesia, qui sit Iubilæi, omniumque aliarum Indulgentiarum fundamentum.

Quinto si esset aliqua ratio, cur in Ecclesia non exstaret huiusmodi Indulgentiarum thesaurus, maxime quia Merita, & satisfactiones Christi in ipso Christo homine satis magnum prēmium iam acceperunt, quando per mortem exaltatus est, & obtinuit nomen, quod est super omne nomen ex Apost. ad Philipp. cap. 2. sed ista ratio nulla est, imo infinita ex illa sequuntur absurda, hæretica: nam primo si ita est, quod Christi merita, & satisfactiones fuerint sufficienter in ipso remunerata, iam non possemus, nec per Sacramenta, nec per sacrificium missę, aliquid amplius obtinere ex opere operato, aliquid amplius postulare, tanquam Christo ex iustitia debitum, nec orationes nostras per Christum fidenter concludere, nec etiam passio ipsius quidquam nobis profuisset, si semel totum suum effectum adęquate habuisset in Christo, nullam in nobis, quæ cum omnia absurdissima sint, & à Scriptura, Ecclesięque sensu prorsus aliena manifestum est Christi merita, sicut & satisfactiones numquam posse adęquate compensari, cum sint infiniti pretij, ac valoris propter dignitatem personæ, quæ naturam humanam terminabat, actiones enim sunt suppositorum, & suppositum Christi fuit infinitum, vtpote diuinum; vnde & Deus ipse dicitur pro nobis passus, ac mortuus per communicationem

idiomatum: manifestum in quam est talia Christi merita, aç satisfactiones nunquam sufficienter posse, nec in ipso, nec in nobis remunerari, atque adeo in thesauro Ecclesiæ eas recondi, & remanere ad hoc vt fidelibus quantumlibet syncathegorematice infinitis applicentur.

Præterea falsum est rationis allatę suppositum, ac hypothesis, Christum videlicet in sua humanitate sufficiens, & adęquatum meritis suis accepisse pręmium; quando à Patre ita est exaltatus, vt datum illi sit nomen, vt in nomine eius omne genuflectatur. Etsi enim talis exaltatio, ac celebritas nominis Christi, itemque corporis eius glorificatio, re vera sint quædam bona valde eximia, comparatiue tamen ad infinita Christi merita prope nihil sunt; maxime cum hic non agatur de gratia vnionis, nec de gratia habituali interiori, nec de beatitudine essentiali animæ, hæc enim omnia ex communi Theologorum consensu Christus de facto non meruit, sed habuit à primo instanti suæ conceptionis.

Deinde aliud est loqui de meritis, aliud de satisfactionibos, vt explicabimus capite subsequenti. quamuis ergo ex falsą hypothesi daremus Christi merita vt merita sufficienter à Deo per exaltationē sui nominis fuisse remunerata; non tamen id sequeretur de satisfactionibus, vt satisfactionibus, neque etiam dici vllo modo posset, siquidem Christus nulla pro se ipso indiguit satisfactione, nec indigere potuit, cum esset omnino impecabilis, ergo fatendum est saltem in thesauro Ecclesiæ Christi satisfactiones refundi, ac remanere, vt fidelibus pro eorum necessitate applicentur; nisi velimus dicere illas otiosas, & inutiles omnino esse, quod est impium, & absurdum asserere de satisfactione infinita, ac de toto rigore Iustitiæ, cuiusmodi fuisse illam Christi docent Theologi ad tertiam partem sancti Thomę.

Vltimo tandem dato & non concesso satisfactionem Christi non esse extensiue infinitam, sed finitam; adhuc tamen longè maior esset, ac abundantior, quam requiratur ad conferendas Indulgentias vsque ad consummationem sęculi. Cum enim Christus pro omnibus hominibus sicut dicitur 1. ad Corinth. 5. & ad Romanos 5. per passionem suam abundantissimè satisfecerit: & tamen multi ex illis partim sine baptismo decedent, partim post Baptismum in peccato mortali, quibus actu efficaciter nihil prosunt satisfactiones Christi, & tamen prodesse possent, si ipsi vellent, aperte constat, siue merita, & satisfactiones Christi ponamus infinitas, sicut debemus

bemus, siue etiam fingantur finitę; aperte, inquam, constat semper remanere copiosissimas in thesauro Ecclesiæ, seu quod eodem recidit in acceptatione diuina, quas, cum non sit rationabile effectu aliquo carere, non est dubium, quin fidelibus toto orbe diffusis per indulgentias applicari possint.

Ex quibus omnibus hucusque dictis mirum profecto videri debet, quomodo hæretici audeant obijcere Catholicis Indulgentiarum, ac Iubilæorum vsum præiudicare infinitæ satisfactioni Christi, siquidem asserunt Catholici totam vim, ac valorem Indulgentiarum ad remissionem pœnæ temporalis post peccatum residuā, Christi satisfactionibus, ac meritis fundamentaliter inniti, quatenus varijs modis possunt applicari fidelibus, nunc per Sacramēta, nunc per suffragia, & orationes Ecclesiæ, nunc per satisfactionem propriam, nunc per indulgentias.

Verum supposito, quod in Ecclesia detur thesaurus ille communis, inquiret aliquis, vbinam gentium extet ille. Breuiter dico esse repositum in acceptatione diuina: quemadmodum enim pœnę peccatorum in memoria diuinæ iustitiæ semper manere dicuntur, quandiu pro ijs non est satisfactum, iuxta illud Iob c. *Signasti tanquam in sacculo omnia peccata mea*, & iterum, *Scribis enim contra me amaritudines*: ita vt *memoriæ tuæ tenaciter inhæreant.* Sic etiam manent satisfactiones Christi in acceptatione diuinæ misericordiæ, vt per indulgentias iuxta distributionem, & applicationem earum ab illis factam, qui in Ecclesię communitate præsunt, valere & prodesse ijs possint, qui subsidio communis eius thesauri ad pœnæ temporalis redemptionem indigeant.

CAPVT II.

Vtrum redundantes Sanctorum iam in Cœlo regnantium satisfactiones in thesauro indulgentiarum, ac Iubilæorum reponantur.

DOcuimus superiori capite tanquam rem de fide certam dari in Ecclesia communem indulgentiarum thesaurum essentialiter constantem ex meritis, & satisfactionibus Christi. modo est difficultas vtrum omnes Sanctorum satisfactiones, qui plus passi

ſunt, quam meruerant, aut debebant ſecundum ordinem iuſtitiæ diuinæ, reponantur etiam in illo theſauro, ſaltem ſecundario, & per accidens, licet non eſſentialiter, vt poſtea fidelibus per indulgẽtias applicentur. Et quia Sancti poſſunt cõſiderari in duplici ſtatu, vel in ſtatu glorię, vel in ſtatu vię, agimus in pręſenti c. de ſatisfactionibus SS. iam in Cælo regnantium, acturi in ſubſequenti de viuentibus.

Igitur pro intelligentia difficultatis notandum eſt primo in omnibus operibus bonis quæcumque exercent, aut exercuerunt vnquam fideles, qui ſunt membra Eccleſiæ, duas ineſſe virtutes, quæ, vt inter ſe diſtinguuntur, ita ad diuerſos fines ſuapte natura referuntur. Vna eſt merendi gratiam, & gloriam: altera vero ſatiſfaciendi pro pœnis peccato debitis: prior competit operibus, quatenus à charitate imperantur, & in Deum, tanquam in vltimum finem actualiter aut virtualiter referuntur: ſic enim hominem Deo gratũ & ad beatitudinem acceptum reddunt. poſterior vero eiſdem operibus conuenit, quatenus ita à gratia, ac diuina charitate procedunt, vt etiã aliquam habeant adiunctã pœnalitatem, moleſtiam, laborem, atque difficultatem: ſic enim cum pœna peccatis debita proportionem habet, illamque legitime poteſt compenſare. quippe cum talis pœna nihil ſit aliud ex ſe ac labor ab homine pro delectatione, quam in peccando habuit, ſubeundus, iuxta illud Apocal. quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.

Et quamuis Lutherus in aſſertionibus art. 17 hanc diſtinctionem quam nullo tamen argumento refutare tentauit, figmentum appellet; nihilominus omnes Theologi ad 12. Sancti Thomæ illam admittunt, & tanquam rem certiſſimam paruo negotio tam ex ſcripturarum, quam Sanctorum Patrum teſtimonijs demonſtrant, quibus etiam validiſſimæ accedunt rationes. Nam primo etiamſi opus bonum ex gratia, & charitate factum meritoriũ ſit vitę ęternæ: nihil tamen detrahitur de bonitate, & dignitate eius operis, ſi acceptetur à Deo ad ſatisfactionem pro pœna: igitur idem opus meritorium, & ſatisfactorium eſſe poteſt.

Inſuper, ſicut eadem oratio ſimul poteſt eſſe meritoria, & impetratoria, ſiquidem qui orat pro alijs, eiſque impetrat à Deo remiſſionem peccati, vel quodcumque aliud beneficium, certe non minus bene operatur, & Deo placet, ita orando, quam ſi pro ſe tantum oraret, imo magis, quia ſimul exercet charitatem in Deũ, & in proximum. Quid impedit, quo minus etiam eadem actio

poſſit

possit esse simul meritoria, & satisfactoria. Denique potest vni, & eidem operi duplex premium, aut merces deberi, altera ex iustitia distributiua, altera ex iustitia commutatiua, sed operi meritorio, quatenus à gratia procedit, debetur premium ex iustitia distributiua secundum substantiam, vt docent Theologi cum Diuo Thoma 1. parte quest. 21. artic. 1. quamuis secundum modum debeatur, & reddatur secundum commutatiuam ex eodem Sancto Doctore 22. q. 61. art. 4. ad primum. Operi autem satisfactorio, quatenus est laboriosum, & pœnale, debetur remissio pœnę ex iustitia commutatiua, dicente Scriptura Deuteron. 25. pro mensura peccati erit & plagarum modus. Inde enim, sicut ex loco citato Apocalipseos, perspicuè coligitur, compensationem pœnę pertinere ad iustitiam cōmutatiuam. Igitur satis constat, idem opus bonum secundum diuersas considerationes posse meritorum esse vitæ æternæ, & simul satisfactorium pro temporali pœna, nec minus meritorium, quia satisfactorium.

Secundo notandum est: opus bonum qua parte meritorium est, proprie loquendo non posse alteri applicari, atque adeo nec ad cōflandum Ecclesię, ac Indulgentiarum thesaurum concurrere, quia meritum respicit operantem, in eo sistit, illique soli prodest ad augmentum gratię, & consecutionem gloriæ; ita vt etiam merita sanctorum per beatitudinem, qua donati sunt, à Deo sufficienter, imo superabundanter sint compensata. Cæterum potest vnusquisque per opera sua bona impetrare alijs diuina aliqua beneficia. Possūt etiam communicari, aut applicari eadem opera bona, qua ratione sunt satisfactoria pro reatu pœnę alteri à se debitę, non solum cum membra quædam Ecclesiæ alijs membris satisfactiones suas speciali intentione accommodant, sed etiam cum ex eorum saltem implicita intentione id ipsum faciunt ij, qui præsunt in Ecclesiæ communitate, tanquam distribuentes commune bonum, & quasi thesaurū Ecclesiæ. Aliorum enim satisfactiones alijs prodesse possunt duobus modis, prior est per intentionem propriam, & singularem eius, qui operatur, vel patitur, quique vult operis sui fructum cum alijs communicare, iuxta illud Psalmistæ particeps ego sum omnium timentium te psal. 118. ad quem modum pertinere videntur tot in Ecclesia Dei laudabiliter institutæ confraternitates, ac sodalitia, nec non etiam litteræ filiationis dictę, quę à Religiosorum ordinū superioribus concedi solent Viris de ordine bene meritis, vt participes fiant omnium bonorum operum, quæ continuo in tali ordi-

ne

ne prçstantur. Et de hoc modo non est principaliter difficultas in præsenti.

Posterior modus est per authoritatem, ac iurisdictionem eorum, qui prçsunt in Ecclesia, & potestatem habent clauium, & de hoc tota est controuersia, num videlicet superabundantes Sanctorum satisfactiones ita in Ecclesiæ Thesauro, vna cum infinitis Christi satisfactionibus reponantur, vt etiam ex illis per indulgentiarum, ac Iubilæorum concessionem possit fieri remissio ac relaxatio pœnarum temporalium fidelibus illas debentibus.

Durandus in 4. distinct. 10. quæst. 20. thesaurum quidem indulgentiarum admittit, sed computat ex solis meritis, & satisfactionibus Christi, non autem Sanctorum constare, & coalescere: Communis tamen Catholicorum Doctorum sententia est contraria. pro cuius explicatione sequentes propositiones statuo.

Prima propositio. Non est fide certum, quod Thesaurus Ecclesiasticus constet quoque passionibus, & satisfactionibus Sanctorum. ita expressè Philippus Gamacheus Doctor Sorbonicus in 3. partem S. Thomæ disput. de indulg. cap. 2.

Et probatur quia Ecclesia numquam hoc determinauit ex professo, nec vlla eius definitio hactanus inueniri potuit, si quidem tam in extrauaganti Clementis VI. quæ incipit Vnigenitus, quam in Bulla Leonis X. contra articulos Lutheri id obiter solum declarari videtur tanquam probabilior, vt mox dicemus, Theologorum sententia. Insuper id disertè non habetur in sacris Scripturis. ergo hac in materia nihil videtur esse fide certum.

Secunda propositio omnes satisfactiones omnium Sanctorum, qui plus passi sunt, quam meruerant, aut debebant secundum iustitiam diuinam, omnes inquam reponuntur in thesauro Ecclesiastico, tanquam in communi ærario, vt inde postea fidelibus applicari possint. Hanc propositionem nullo modo audire possunt Hæretici nostri temporis, illam tamen tanquam piam, glorięque Christi, ac Sanctorum eius consentaneam sententiam amplectuntur modo omnes Catholici, itaut illam reuocare in dubium esset temerarium, & scandalosum, grauèque peccatum, nisi forte excusaret ignorantia inuincibilis. Etenim peccatum est negare non solum quæ sunt de fide, sed etiam quæ sunt fidei coniuncta, ac vulgo recepta à Theologis, & à Summis Pontificibus approbata cuiusmodi est prædicta sententia.

Clemens enim VI. in extrauaganti iã prius citata hæc habet. ad huius

huius thesauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum merita a primo iusto vsque ad vltimum adminiculum præbent. Similiter Leo X. in condamnatione artic. Lutheri, necnon in decreto misso ad Cardinalem Caietanum declarat Summum Pontificem posse thesaurum Christi, & Sanctorum dispensare, iubetque ita doceri sub pœna excommunicationis. Sed nunc ad authoritates scripturæ, rationesque ex eis desumptas veniamus, quibus permoti duo illi Summi Pontifices hanc sententiam de reponendis in Ecclesiæ thesauro Sanctorum satisfactionibus approbarunt.

Primus locus est Psal. 118. iam citati. *Particeps*, vel iuxta versionem Hebraicam, *Socius sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. His enim verbis Regius Propheta videtur certa spe communicationis bonorum operum alienorum animum suũ erigere, vt D. Ambrosius homil. 8. in illum psalmum, & alij Patres communiter interpretantur.

Alter locus est 2. ad Corinth. 8. *in præsenti tempore abundantia vestra illorum inopiā suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Quasi alter pro alio satisfacere, eiusque onera portare queat. Ibi enim Apostolus non solum significat Titum, & Lucam, de quibus ibi est sermo, per doctrinæ ministerium inopiam spiritualem Corinthiorum supplere potuisse, vt sine fundamento restringunt Hæretici, sed absolute spem Corinthijs fecit fore, vt abundantia Titi, & Lucæ spirituali, hoc est in omni genere piorum operum, posset illorum spiritualis inopia, aut indigentia ditari.

Tertius est eiusdem 2. Epist. ad Corinth. cap. 12. *Non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs, ego autem libentissime impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar*. Vbi Apostolus ostendit paratum se pro fidelibus mori, & labores suos tanquam thesauros pro illis reponere, ac Deo consecrare. Qua etiam de causa Origenes homil. 10. & 24. in num. docet Diuum Paulum suó modo expiauisse, tanquam victimam aliorum peccata. Nec multum abest ab hoc quod legitur apud Diuum Chrisost. homil. 8. in commem. S. Pauli.

Quarto ad hanc ipsam rem confirmandam illustris est ille locus ad Colossenses 1. *Gaudeo in passionibus meis pro vobis, & adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Quæ verba Apostoli non solum ostendunt eum pro Ecclesia passum fuisse, quatenus ea, quæ passus est, Ecclesiæ profuerunt

runt

runt ad fidei ædificationem, iuxta illud; ad Philipp. 1. *Quæ circa me sunt magis ad profectum venerunt Euangelij*, & 2. ad Corinth. 1. *Siue tribulamur pro vestra exhortatione, & salute*. Sed etiam quatenus labores, ab illo perpessi inseruire possent; membris Ecclesiæ ad satisfactionem, seu solutionem pro aliqua pœna peccato iam quoad culpam condonato, ac remisso debita. Cum enim Apostolus ibi absolutè dicat, se pati pro corpore Ecclesiæ, hoc est in vtilitatem, ac emolumentum illius, nullum penitus determinans modum, quo duntaxat afferat se id facere, quemadmodum & in alijs etiam citatis locis absolutè profert se omnia facere pro salute aliorum, Dubium esse non debet, quin voluerit Apostolus labores, ac passiones suas Ecclesiæ prodesse omni ratione, & titulo, quo prodesse poterant, sed Ecclesiæ prodesse poterant, non solum, vt inde magis, ac magis in fidei veritatibus ædificaretur, sed etiam secundum vim satisfaciendi pro pœna, vt mox probabimus. Ergo hac etiam ratione Apostolus passionibus illis suis, innumerisque laboribus Ecclesiæ prodesse voluit.

Tandem probatur veritas nostræ sententiæ efficacissimis rationibus. Multi viri sancti in hac vita summa cum patientia, deique amore longè grauiores afflictiones pertulerunt, quam ad pœnarum quibus obligati erant, satisfactionem opus esset, vt patet primo in Beatissima Virgine Maria, quę cum fuerit omnis peccati originalis, & actualis expers, nulla pro se satisfactione indiguit, & tamen plurima passa est propter Deum, ac præsertim cum animam eius gladius doloris ita acutus pertransijt, iuxta Simeonis vaticinium Lucæ 2. vt, inde Reginæ Martyrum titulo, ac nomine decorari meruerit.

Secundo in Beatissimo præcursore Christi Domini S. Ioāne Baptista, quem constat ab vtero sanctificatum vitam deinceps innocentissimam duxisse, vt vix leuissimis culpis, & paucissimis obnoxius fuerit; Et tamen in desertis, aqua, & locustis contentus seueram adeo, ac duram vitam egit, vt exemplar pœnitentiæ omnibus esse potuerit, & tandem pro veritate vincula, carcerem, & ipsam capitis obtruncationem ab impio Herode passus est. Accedunt denique innumera alia Sanctorum Apostolorum martyrum, & Confessorum, ac præsertim Eremitarum exempla, quorum multi fortasse nulla vnquam peccata mortalia perpetrarunt, alij vero, licet aliquando admiserint, multa nihilominus grauiora tormenta passi post suam iustificationem, quàm exigeret reatus pœnæ temporalis,

lis, multo plura exoluerunt, quam debuerunt secundum rectum iustitiæ ordinem: Sic Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ Romanæ scribit multos Sanctos leuissima sua peccata seuerissimè, & plus quam illa digna essent in se vindicasse, quod de se ipso testatur patientissimus Iob cap. 7. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret*, Et ad hoc etiam faciunt loca D. Pauli 1. ad Corinth. 4. *Vsque in hanc horam esurimus, & sitimus, & nudi sumus* & 2. ad Corinth. 9. *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supramodum &c.* Necnon ad Hebræos 11. *lapidati sunt, secti sunt, in occasione gladij mortui sunt*. Ergo ex his omnibus manifestè constat abundantissimum cumulum necessario superesse earum satisfactionum, quas Sancti Deo obtulerunt, & quibus pro se ipsis non indigebant. vnde sic argumentari licet.

Satisfactiones illę in thesauro Ecclesiæ optimo iure recondi, & reseruari possunt, adhoc vt fidelibus pro eorum necessitate applicentur, quæ superabundantes fuerint, & maiores, quam exigeret reatus pœnę temporalis, cui fuerunt obnoxij illi, qui propter culpas à se commissas satisfaciebant: at qui plurimorum Sanctorum opera, & passiones, & labores fuerunt eiusmodi, maiores scilicet, quam foret necesse ad expianda propria illorum peccata; Ergo censendum est illos omnes ad infinita Christi merita, ac satisfactiones etiam adiungi; quasi communem quemdam cum illis, licet secundario, & veluti per accidens Ecclesiæ thesaurum efficiendo, qui sit in acceptatione diuina repositus. Minor huius argumenti iam fuit probata inductione in pluribus Sanctis, nunc ratione confirmatur, quia si esset aliqua ratio, cur superabundantes aliquæ non essent Sanctorum satisfactiones, maxime quia bona omnia ipsorum opera sunt etiam vltra condignum remunerata, ex communi Theologorum axiomate, quo dicitur Deus præmiare vltra condignum, & punire citra condignum, iuxta illud Euangelij Lucæ 17. *cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus*. Et illud Apostoli ad Rom. 8. *non sunt condignæ passiones huius vitæ ad futuram gloriam &c.* vel etiam quia tantummodo satisfactorium est aliquod opus, quando is, qui operatur, eget satisfactione pro se ipso, non autem vbi nihil indiget. Sed ex hoc non sequitur superabundantes aliquas non esse Sanctorum satisfactiones. ergo &c.

Probatur minor quo ad primam partem. Licet enim ex eiusmodi operibus, quatenus erant meritoria, cumulatissimè à Deo fuerint

rint Sancti remunerati, & vltra condignum, vt solent explicare Theologi in tractatu de gratia, non tamen ex ipsis, vt erant laboriosæ, & satisfactoriç quidquam, vel certè exiguum sunt consecuti. Tum quia vt supponimus, & Sanctorum exemplis supra demonstrauimus nullam, vel perexiguam pœnam, pro qua tenerentur satisfacere, habebant: tum quia ei, qui opus meritorum simul, & satisfactorium exercet, si ob prçcedentia peccata nullo reatu pœnæ temporalis astrictus sit, maior gloria non confertur, quam alteri, qui æquale omnino opus agit, & pro pœna, cui est obnoxius, satisfacit; si quidem gloria secundum se nullam ad opus, quatenus præcise est satisfactorium, relationem habet, aut respectum. Satisfactio quippe pçnam post peccatum remissum diuino iudicio luēdam, non autem gloriam respicit. Nec vrgeat quis pro Durando illum, qui plus patiendo, quam pro peccatis deberet, satisfecit, abunde remunerari, si non præmio, aut gloria essentiali, saltem accidentali, quatenus maiori quodam præ alio gaudio afficitur iuxta illud vulgatum, *Dulce est meminisse laborum*. Nam gaudium hoc accidentale in omnibus, qui pœnas æquales sustinuerunt, inuenitur: etiam si pœnç alicuius debitores fuerint. Cum ergo iste ex suppositione non peccauerit, atque adeo nullius pœnæ debitor sit, vltra gaudium hoc accidentale, quod illi cum alijs pœnæ debitoribus commune est, debet aliquid aliud, ratione supereffluentis illius ab ipso sustenti laboris, ac pçnæ consequi. Quod ex statim dicendis nihil aliud esse potest, quam reseruatio illius pœnæ in thesauro Ecclesiæ, & communicatio eiusdem per indulgentias alijs Ecclesiæ membris indigentibus.

Quod etiam non solum possit quis satisfacere pro se, sed etiam pro alijs, si voluerit, & alienas pœnas redimere, ostendimus supra exemplo Diui Pauli, qui cupiebat impendere se, ac super impendi pro fidelibus, non solùm vt præberet illis exemplum, vt perperam restringit Caluinus, sed etiam vt satisfaceret pro alijs fidelibus, cū etiam non solum publicè, sed etiam occultè, & priuatim castigaret corpus suum, & in seruitutem redigeret, varijsque pœnitentiæ operibus incumberet. Ergo etiam ex hoc capite non impedit, quin superabundantes sint Sanctorum satisfactiones, siue postea ab illis applicentur specialiter, siue deficiente tali applicatione dispensentur ex communi thesauro ab his, qui præsunt Ecclesiæ. Si enim semel huiusmodi satisfactiones, speciali intentione ab aliquo Ecclesiæ membro, fuerint alteri communicatæ, supponimus tanquam

certum

certum non posse illas pertinere ad thesaurum Ecclesiasticum, cum huiusmodi satisfactiones sint quid finitum, ac limitatum, iamque suum sortitæ sint effectum.

Superest modo probandum, quod erat maior propositio primi omnino argumenti, super effluentes huiusmodi Sanctorum passiones, ac satisfactiones, vel quia ipsis ad expiandas peccatorum pœnas non fuerant necessariæ, vel quia in vita non fuerunt ab ipsis particulari alicui membro vtiliter applicatæ, reponendas esse, & recondendas in communi Ecclesiç thesauro. quod sic ostendo.

Primo quia fideles omnia opera pia, quæcumque exercent (aut explicita, aut certe implicita, ac interpretatiua intentione, ea ratione, & fine exercenda suscipiunt, quo & ad gloriam Dei, & ad vtilitatem, atque emolumentum Ecclesiæ, cuius ipsi sunt membra, quam maximè illa valere, ac conducere possunt. Videtur autem pertinere ad gloriam Dei, summamque bonitatem, qua nihil boni inutile relinquit, vt statim dicemus, & ad vtilitatem, atque emolumentum corporis Ecclesiæ, quod supereffluentes Sanctorum satisfactiones, atque adeo ipsis ad pęnæ temporalis remissionem non necessariç, nec alijs specialiter ad id ab ipsis fructuosè applicatæ, prosint alijs Ecclesiæ membris, quæ aliquo pœnæ reatu teneantur, vnde in hunc finem debent in Ecclesiæ thesauro reponi, cuius postea distributio, ac dispensatio principaliter pertineat ad supremum Ecclesiæ caput. Deinde etiamsi Sancti nullam de facto talem haberent, aut explicitam, aut implicitam, seu virtualem intentionē, satisfactiones, quæ sibi supersunt, alijs fidelibus applicandi, adhuc tamen in Ecclesiastico indulgentiarum thesauro reponi debent. Quemadmodum enim bona temporalia, vbi desunt hæredes post mortem possessorum, citra vllam eorum intentionem cedunt in bonum Reipublicæ, ita redundantes Sanctorum satisfactiones, absque vlla satisfaciendi pro alijs intentione cedunt in bonum Ecclesiæ, vt postea iustis de causis fidelibus indigentibus ab habente authoritatem dispensentur. Ordinatio enim Dei, qua semel eiusmodi opera ad satisfaciendum valere statuit, propter nostræ intentionis defectum, suo effectu carere non debet, nec potest.

Secundo probatur. Nisi redundantes omnium electorum, qui grauiora passi sunt quam meruerint, ad expianda peccata, satisfactiones in Ecclesiæ thesauro reconderentur, superfluæ, ac inutiles remanerent, cum nempe in ipsis Sanctis fructum, & effectum suum non habuerint, saltem vt sunt satisfactiones ex probatis supra. Quod

tamen videtur à diuina bonitate, ac iustitia prorsus alienum, vt Deus aliquid boni, quale est opus satisfactorium, inutile relinquat aut perire sinat nam si mala ipsa inutilia esse non sinit, sed pro sua immensa bonitate, infinitaque potestate ex ijs bona semper eruit, vt præclare notat S. August. lib. de malo cap. 1. *Deus ita bonus est, vt mala numquam permitteret, nisi ex ijs bona sciret elicere*. Quanto magis, id debemus asserere de superefluentibus electorum satisfactionibus.

Accedit tertio perfectissimam in Ecclesia Dei, quæ ędificatur, vt ciuitas, cuius participatio in id ipsum, Sanctorum communionem reperiri, quam in Symbolo profitemur. Vnde etiam Apostolus ad Roman. 12. & ad Ephesios 1. dicit Ecclesiam esse tanquā aliquod vnum corpus mysticum, ac spiritale sub vno Capite, nempe Christo, cuius veluti membra sunt fideles. atqui perfectissima communio, seu aggregatio sanctorum in Societatem Christi id exigit & sonat, ex ipsomet Caluino in Catechismo Gennuensi an. 1585 vt quæcumque beneficia Deus in illos confert, ipsi inter se mutuo communicent. Similiter hæc est natura, & conditio membrorum vnius corporis, vt se inuicem iuuent, sibique mutuo inseruiāt: Ergo in corpore mystico Ecclesiæ fideles, qui se habent, & operantur tanquam vnius, & eiusdem corporis membra, quorum inter se naturalis est communicatio, mutuo se iuuabunt, & si satisfactiones redundantes habeant, vt certum est multos habere, poterunt eas alijs, aut per semetipsos applicare, aut deficiente tali applicatione in Ecclesiæ thesauro reponi, vt secundum vnicuiusq; necessitatem ab ijs, quæ Ecclesiæ præsunt, distribuantur.

Quarto tandem, & vltimo probatur reijciendo fundamenta oppositæ sententiæ. Quia si esset aliqua ratio, cur redundantes Sanctorum satisfactiones in Ecclesiæ thesauro non reponerentur, maxime quia videtur ex hoc irrogari iniuria aliqua infinitæ Christi Saluatoris satisfactioni, ita vt Sancti si semel pro nobis satisfecerunt, possent vocari nostri Redemptores. Sed ex doctrina Catholica hucusque à nobis probata non sequitur hoc. quod sic explico quia non dicimus ideo satisfactiones Sanctorum cum satisfactionibus Christi in Ecclesiæ thesauro coniungi, quasi satisfactio Christi non fuerit sufficiens, vere enim fuit plusquam sufficientissima. Sed ne istæ passiones Sanctorum super efluentes, remaneant inanes, & inutiles, & quia in tali coniunctione satisfactionum Sanctorum, cum satisfactionibus Christi in thesauro Ecclesiæ, in ordine

dine ad remissionem pœnarum temporalium, quæ super sunt luendæ hominibus post eorum iustificationem, & conuersionem ad pœnitentiam, maximè relucet Dei, & Christi gloria. Sicut enim non tantum homini cedit in gloriam, quod filium genuerit, sed etiam quod iste filius vim, ac facultatem habeat alterum generandi ita Christi gloria magis emicat, quod non tantum ipse pro nobis abũdantissime satisfecerit, sed etiam quod virtutem satisfaciendi pro alijs electis, ac Sanctis suis contulerit, vt sic perfecti essent eius imitatores, nec reluceret solum in corpore mystico Ecclesiæ, vnio & communicatio membrorum cum Capite, sed etiam membrorum inter se qualiter requiritur ad perfectissimam, quam in Ecclesia profitemur, communionem.

Vnde tantum abest, vt allata doctrina vergat in contumeliam Christi, quin potius contendimus ad maiorem eius gloriam spectare, quatenus profitemur omnia nostra opera bona vim habere à gratia, & meritis Christi, ita vt sine ipsis nihil iuuent: profitemur quoque tantam esse meritorum Christi excellentiam, vt non solum Christus pro nobis meruerit, ac satisfecerit; sed etiam merendi, & satisfaciendi nobis tribuerit facultatem, nec tantum satisfaciendi pro nobis, verum & pro alijs, dependenter tamen à suis meritis, & satisfactionibus, quatenus mystice vnum sumus cum Christo, vt docet D. August. in psal. 61. explanans illum Apostoli locum ad Colossens. 1. *Adimpleo in carne mea quæ desunt, &c. tantum ergo pateris, quantum ex passionibus suis inferendum erat vniuersæ passioni Christi, qui passus est in capite nostro, & patitur in membris suis, idest, in nobis ipsis ad communem hanc quasi rempuplicam. Nam quisque pro modulo nostro exoluimus, quod debemus, & pro posse virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus paratoria plenaria: passionum omnium non erit finis, nisi cum sæculum erit finitum.* Hęc ibi D. Augustinus, cui suffragatur fidelis eius discipulus D. Thomas lect. 6. in cap. 1. citatæ Epistolę ad Colossenses. Vbi cum sibi obiecisset supradicta verba D. Pauli, secundum superficiem malum posse habere intellectum, scilicet, quod Christi passio non esset sufficiens ad redemptionem, quæ est sectariorũ huius temporis obiectio præcipua, statim respondet. Sed intelligendum est, quod Christus, & Ecclesia est vna persona mystica, cuius caput est Christus, corpus omnes iusti: quilibet autem iustus est quasi membrum huius capitis 1. Corinth. 12. & membra de mẽbro. Deus autem ordinauit in sua prædestinatione quantum meritorum

ritorum debet esse per totam Ecclesiam tam in capite, quam in membris, sicut & prædestinauit numerum electorum. Et inter hęc merita præcipuè sunt passiones Sanctorum. Christi scilicet Capitis merita sunt infinita, quilibet vero Sanctus exhibet aliqua merita secundum mensuram suam. Et ideo dicit adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, id est totius Ecclesiæ, cuius caput est Christus, adimpleo, id est addo mensuram meam. Et hoc, in carne, idest ego ipse patiens. vel quæ desunt passiones in carne mea. Hoc enim deerat, quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, & similiter in alijs. Et pro corpore, quod est ecclesia, quæ erat redimenda per Christum, &c. Paratoria autem, de qua loquutus est Augustinus loco citato, & post ipsum Glossa explanans locum citatum epistolæ ad Colossenses est vas, vel domus, inquit D. Thomas, vbi pariter multa inferuntur: ita vt ibi per Parato iam plenariam nihil aliud videatur intelligi à D. August. quam communis Ecclesię thesaurus in quo omnia, tam Christi, quam Electorum superefluentia merita, ac satisfactiones reseruantur.

Et adhoc idem significandum facit antiqua illa consuetudo, quã supra controuersia 3. cap. 1. adnotauimus ex Gregorio Magno, & Gregorio VII. mittendi clauem: quæ erat signum, & Index indulgentiæ, vna cum ferro ex catenis Beati Petri in ea contento. poterant enim seorsum mittere, & non includere in clauem, nisi aliquid spiritualiter, & spiritualibus significare voluissent, illud scilicet, inquit Turrianus lib 2. explanat. constit. Clementis cap. 10. indulgentias ipsas peccatorum, quæ signa sunt velut Catenę, & vincula, niti in meritis & Christi passionibus eius, non solum quas in se passus est sed quas in Sanctis suis, quod nunc ipsi Pontifices in suis bullis dicunt Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli meritis, & authoritate confisi concedimus.

Quod quidem nihil aliud est, quam offerre Deo martyrium Petri, imo merita omnium Sanctorum in virtute passionis Christi pro impetranda fidelibus peccatorum venia. Passiones enim Sanctorum, & merita eorum, & si ęra minuta sint, quæ cum infinito thesauro passionum, & meritorum Christi comparari non possunt: tamen quia passiones Christi sunt, quas in Sanctis passus est, & patitur quod enim vni ex minimis suis fit, ipsi fit. idcireo passionibus, & meritis Sanctorum cumulatur thesaurus Indulgentiarum, qui est infinitus thesaurus passionum, & meritorum Christi, ex quo omnis

omnis gratia remissionis, & indulgentię peccatorum, & pœnarum manat.

Quemadmodum ergo non præiudicat infinitati diuinæ potentię, quod creaturarum consortium admittat in ordine ad aliquos effectus producendos, quia semper in illis operatur tanquam causa prima in secundis per communicationem totius virtutis agendi, & habitualis, & actualis illas præmouendo, ita similiter, quia redundantes electorum omnium satisfactiones ita in ecclesiæ thesauro reponuntur, vt dependeter à meritis, & satisfactionibus Christi, sine peccatorum, quod attinet ad remissionem pœnæ temporalis remissiuæ, nulla penitus irrogatur iniuria infinitis Christi meritis, & satisfactionibus. Et ob hanc etiam rationem Sancti non sunt dicendi nostri redemptores, sed vnicus est noster Redemptor Christus absolutè, simpliciter, & propriè. Si enim alienis Sanctorum passionibus peccata nostra redimuntur, id semper fit merito, & virtute passionis Christi, qua sublata omnes nostri labores, & conatus, omnes Sanctorum passiones inanes, ac inutiles remanerent. ergo vnus semper remanet omnium Saluator, ac Redemptor Christus Dominus. Quamuis nihil obstet, quin etiam alij dicantur redemptores impropriè & secundum quid, quatenus alijs suos labores communicant, vel etiam sibi ipsis applicant ad expianda propria peccata. Sic enim Daniel suadebat Regi, vt peccata sua eleemosynis redimeret. Sic Moses ad Galat. 3. vocatur Mediator. Ioseph. genes. 41. Saluator mundi, quia Aegyptum tempore famis seruauerat. cum tamen solus Christus simpliciter mediatoris, & Saluatoris nomen, & officium vendicet, qui saluum fecit populum suum a peccatis eorum, non solum quoad reatum pœnę temporalis sed maximè quoad reatum culpæ, pœnarumque ęternarum.

Verum cum Clemens VI. in extrauaganti Vnigenitus iam ante citata dicat ad thesauri ecclesiastici cumulum Beatę Dei Genitricis & omnium Electorum merita, à primo iusto vsque ad vltimum adminiculum prębere. Inquiret aliquis: an per illam particulam, *merita*, intelligantur solum opera meritoria secundum quod annexam habent aliquam pœnalitatem, ita vt secundum illam tantum rationem in thesauro reseruentur, non autem Secundum quamdam rationem meriti. Posset enim aliquis exstimare, talia opera reponi tantum primo modo ad distinctionem Christi Domini cuius tam satisfactiones, quam merita essentialiter in Ecclesiastico thesauro reconduntur.

Bre-

Breuiter dico: Merita Sanctorum, quatenus beatitudinem respiciunt, ad hunc thesaurum non pertinere, cum ipsa per beatitudinem à Deo acceptam sufficienter imo superabūdanter sint compensata, aliquo tamen modo, quatenus scilicet respiciunt remissionem pœnę temporalis, potest dici ad eum pertinere: nec enim dubium est, quin ipsam, quatenus nos ab assecutione Beatitudinis retardat, aliquo pacto tollant, mouent quippe Deum in cuius memoria, & acceptatione sunt, vt pœnam ipsam fidelibus non amplius imputet, sed eos in beatitudinem statim, aut saltem citius recipiat, merito quidem non de condigno, sed solum de congruo. Siquidem alijs gratiam; & gloriam de condigno mereri solius Christi proprium, & peculiare fuit, vt probant Theologi 3. parte.

Et sic intelligenda sunt verba Clementis VI. dum asserit merita omnium electorum ad thesaurum Ecclesiasticum pertinere, aliorumque Pontificum concessiones, quando merita sanctorum Petri, & Pauli in suis Bullis specialiter inculcant; merita, in quam congrua, non condigna.

Et de hac operosa difficultate satis.

CAPVT III.

Quod redundantes etiam electorum viuentium satisfactiones in thesauro Indulgentiarum reponantur:

IN hac conclusione conueniunt omnes fere Theologi, illamque efficaciter probāt omnes rationes superiori capite allatę: quod enim electi sint mortui, iamque in Cœlo regnantes, aut viuentes adhuc, & in præsenti statu, videtur se habere per accidens respectu talis repositionis satisfactionum. Siquidem communicatio satisfactionum primordialiter oritur à mutua membrorum Ecclesiæ, cum Christo Capite, & inter se vnione, & compaginatione. cum ergo Sancti, & electi viuentes non minus quam in Cælo iam regnantes, cum cæteris alijs fidelibus, tanquam membra eiusdem corporis, perfectissimam vnionem habeant, redundantes etiam eorum satisfactiones, si iam alteri non sunt, ab ipsis applicatæ, aut si fuerint applicatę, per accidens tamen ijs de facto non prosunt,

ſunt, aut quia non indigent, aut quia non ſunt in ſtatu, in quo poſſint illis prodeſſe, vel quia iam ſunt in Cęlo, vel in Inferno, vbi nulla eſt redemptio, debent in communem Eccleſiæ theſaurum cedere, vt inde iuxta diſpenſationem ipſius alia membra indigentiam habentia ſubleuentur,

Vnde etiam Clemens VI. extrauagante *Vnigenitus* vniuerſaliter aſſerit, ad Eccleſiaſtici theſauri cumulum merita omnium electorum à primo vſque ad vltimum adminiculum præſtare. Sanctos autem viuētes eſſe de numero electorum patet ex infallibili diuinæ prædeſtinationis certitudine. igitur eorum merita, ſeu ſatisfactiones ſuper effluentes in theſaurum Eccleſiæ referentur.

Maior ergo difficultas eſt de bonis operibus à præſcitis in ſtatu gratiæ factis, vtrum in theſauro Eccleſiæ reponantur, & fidelibus in Iubilęo applicentur. Circa quod duas diuerſas reperio ſententias. Prima eſt Adriani in 4 tit. de clauibus, Henriches lib.4.c.16. Andreę dù Vallij tract. de Indulgent. art. 4. exiſtimantium etiam opera ſatisfactionis præſcitorum, & damnatorum, ſi quæ ſint ſuperabundantia, in theſauro conſeruari, dummodo illa in gratia ſint facta. nam de bonis operibus in peccato mortali factis omnes conueniunt in Eccleſiæ theſauro non recondi; ſunt enim opera mortua, quæ, ſicut numquam reuiuiſcunt, nec ad gratiam, & gloriam vnquam proſunt, ſic neque ad vllam pœnarum relaxationem, & imminutionem conducunt.

Alij vero, vt Sotus in 4. diſtinct.16. q.2. art.4. Ledeſma quęſt.30. art.2. oppoſitam Sententiam tenent, quam etiam probabiliorem putat Benſonius lib.2. de Iubilæo cap.33. videturque fundata in extrauagante, *Vnigenitus*, vbi mentio dumtaxat fit meritorum, ſeu ſatisfactionum electorum. quemadmodum ergo merita eorum, qui damnantur a diuina mente aboleri dicuntur, nec in ea remanere ad effectum remunerationis, dicente Scriptura Ezechiel. c.18. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat non recordabuntur*. Quia licet opera virtutum in charitate facta maneant in acceptatione diuina, in ordine ad vitam æternam, quantum eſt ex parte Dei, quia tamen homo per peccatum finale indignum ſe pręber illa mercede, mortificari, & perdi dicuntur. Ita etiam Deus, ſtante impedimento peccati non vult damnatorum ſatisfactiones nec illis, nec alijs computare, cum Eccleſia ſpiritalibus Chriſti, ac Sanctorum diuitijs opulentiſſime dicata,

L iam

iam aridis, ac desiccatis damnatorum hominum satisfactionibus non indigeat.

Idem dicendum est de pœnis, quas infantes baptizati ante vsum rationis sustinent, nullo modo in Ecclesiæ thesauro reponi. Etsi enim ex vna parte tolerentur à personis Deo gratis, sintque redundantes, nullo tamen modo sunt voluntarię, atque adeo non sunt satisfactiones, cum ad rationem operis satisfactorij requiratur, vt illud formaliter, aut interpretatiuè sit voluntarium, ac liberum.

CAPVT IV.

Quomodo Sanctorum satisfactiones in Ecclesia thesauro vna cum meritis, ac satisfactionibus Christi reposita concurrant ad remissionem pœnæ temporalis, quando in Iubilæo dispensatur Thesaurus.

SVpposito ex dictis, quod redundantes Sanctorum satisfactiones vna cum infiniti valoris satisfactionibus, ac meritis Christi Domini in Ecclesiastico Indulgentiarum thesauro, ita acceptante Deo, recondantur, ac reseruentur: est controuersia, quomodo huiusmodi Sanctorum satisfactiones dicendæ sint concurrere ad remissionem pœnarum temporalium, quando thesaurus per Iubilæum, aut aliquam aliam indulgentiam dispensatur.

Capetius lib. de Indulg. cap. 16. asserit passiones Sanctorum non ita nobis applicari, vt sint veræ satisfactiones, id est, compensationes pro pœnis debitis, sed solum tanquam rationes, quibus Deus moueatur, & flectatur ad communicanda nobis Christi merita. Hæc tamen sententia facile refellitur ex superius dictis, & damnata fuit à Pio V. & à Gregorio XIII. qui sententiam Pij firmauit, vt rectè obseruat Cardinalis Bellarm lib. 1. de Indulg. cap. 4. ad sextam obiectionem.

Alij apud Henriches lib. 7. c. 5. putant, in dispensatione Ecclesiastici thesauri ita se haberi, vt per satisfactiones Christi dimidia, vel maior pars pęnarum remittatur ei, cui Indulgentiæ applicantur:

altera

altera vero pars residua, siue dimidia, siue minor sit, ex applicatione satisfactionum Sanctorum relaxetur, licet hęc quoque pars in Christum, tanquã in primam causam reduci, ac refundi debeat. Sed neq; hic modus explicandi satisfacit, non solum quia nulla efficaci ratione, aut certa authoritate probatur, verum etiam quia videtur pertinere ad dignitatem Christi Domini, quod totus satisfactionis effectus ab ipso attingator, & non tantum partialiter.

Melior ergo, ac facilior dicendi modus est; quod in dispensatione thesauri Ecclesiastici tempore Iubilæi, tàm Christi satisfactio, quam Sanctorum totam pęnam temporalem debitam remittat, ita vt quælibet de facto totum illum effectum attingat, licet non totaliter. Quemadmodum enim se habent in ordine physico causa vniuersalis prima comparatiuè ad secundas, aut causa principalis ad sua instrumenta, ita etiam proportionaliter possumus concipere quod se habeat in præsenti. Sicut ergo causa prima admittens in agendo consortium causarum secundarum creatarum, ita operatur vt totus effectus tam sibi, quam illis, non tamen totaliter correspondeat; quod idem nontingit in causa principali vna cum instrumentis suis collata, vt communiter docent Theologi, ac Philosophi. Ita etiam cum merita, & satisfactiones Christi in thesauro repositæ se habeant per modum causæ vniuersalis in ordine morali, aut causæ principalis comparatiuè ad satisfactiones Sanctorum, quæ sunt veluti media quædam instrumenta, quibus fructus infinitę satisfactionis Christi, quod attinet ad remissionem pœnæ temporalis, ad homines deriuatur; quælibet ex illis satisfactionibus facit totum effectum eiusdem remissionis, non tamen totaliter.

Ex quo colligo primo: quod sicuti concursus causæ secundæ ad primam, aut instrumenti voluntarij, & ad placitum respectu causæ principalis, non est quid necessarium ad productionem effectus, nisi ex suppositione, ita similiter dico thesaurum Ecclesiasticum, quatenus precise ex satisfactionibus Sanctorum constat, non esse simpliciter necessarium, vt Iubilæi concedantur, suumque effectum sortiantur; cum Christi merita, & satisfactiones propter suam infinitatem satis superque sufficiant. Postquam tamen ad hoc leuius redemptionis genus, nempè remissionis pœnarum temporalium, Sancti, vt cooperatores Christi fuerunt admissi ex Dei institutione, & beneficio, qui iure optimo causas creatas facit sibi cooperantes, non quia illis indigeat, sed vt in eis summa eius potentia bonitas, ac sapientia resplendeat, vt docet D. Thomas lib. 3. contra gentes

 cap. 69.

cap. 69. Postquam inquam redundantes electorum satisfactiones sunt in Ecclesiastico thesauro repositæ, ex illis de facto fiunt indulgentiarum distributiones, & vna cum satisfactionibus Christi ad pœnas temporales peccatorum relaxandas modo explicato concurrunt. Quamuis de facto posset Pontifex immediatè per indulgentias solum Christi satisfactiones applicare, absque concursu alterius satisfactionis, vt adnotauit Henriques loco iam citato.

Secundo colligo: quod sicut Deus cum mundo dicitur maius bonum extensiuè, non autem intensiuè, quàm Deus solus, vt docent Theologi 1.p. quod idem asserendum est de Deo cum causâ secunda in ordine ad productionem alicuius effectus, quia sic se habet, vt causæ secundæ totam penitus vim agendi communicet, absque eo quod inde virtus eius increata auctior, aut efficacior reddatur, sed solum nouo quodam modo communicetur, concurrente scilicet causa secunda. ita similiter cum Christi satisfactio nequaquam auctior, & efficacior in se fiat intensiue, adiunctis in thesauro Sanctorum satisfactionibus, cum sit per se sufficiens, dicitur esse quid solum extensiue maius, quatenus cum ex vi propria suum effectum plenissime habere posset, de facto tamen non excludit Sanctorum satisfactiones; Sed illis potius tribuit vim, & efficaciam, tanquam causa vniuersalis, & principalis suo instrumento in ordine ad vnum, & eundem effectum remittendi pęnas temporales.

Tertio infero: satisfactiones Christi in hoc præcellere satisfactionibus Sanctorum, quod cum satisfactio Christi sit infinita, nunquã exhauriri potest, at satisfactiones Sanctorum, cum sint finitæ, & limitatæ, semel applicatæ consumuntur in eadem applicatione, nec amplius applicari debent cum suum effectum sortitæ fuerint. Ideoque cum Iubilæus, alięque Indulgentiæ à Pontifice conceduntur, Deus per suam prouidentiam ita se gerit, vt Indulgentiæ pro maxima quantitate ex meritis Christi desumantur, concurrentibus pro minima, satisfactionibus B. Virginis, Sanctorum Apostolorum, & reliquorum Sanctorum, cum enim singulis bullis, horum specialis fiat mentio, si totam indulgentiam, vel maximam illius partem, ex eorum satisfactionibus in vnaquaque Iubilæi concessione sumeret, cum ipsæ finitæ sint, non possent non tandem absumi, & exhauriri.

CA-

CAPVT V.

Quanam pœnæ temporales dicantur fidelibus per Iubilæi concessionem remitti.

SVppono tanquam certum, Iubilarem indulgentiam ex dictis supra in definitione ipsius non esse remissiuam per se loquendo alterius pœnæ, quam temporalis peccato iam quoad culpam condonato debitæ. Quia autem huiusmodi pœnę sunt in multiplici differentia, nunc est difficultas, cuius propriè sit Iubilæus remissiuus.

Septem ergo possumus in vniuersum distinguere pęnarum genera peccatis iam per pænitentiam remissis adhuc persoluenda.

Primum genus est pęnarum naturalium, quæ peccatum originale consequuntur, & quæ communiter à Theologis potius pęnalitates, quam pęnæ appellantur, cuiusmodi sunt mors, ægritudo, fames, sitis, ignorantia, & similia, quæ certum est per indulgentias non remitti, non ex debilitate meritorum Christi, sed quia hoc repugnat statui præsentis vitæ, in quo supradictæ pœnalitates nobis ad agonem & exercitium manent, nec ante generalem Resurrectionem à corporibus viuentium hominum, in qua mortale immortalitatem induet, tollentur; tuncque merito passionis Christi. Resurrectionem enim nostram, immortalitatem,& cætera quæ ad eam sequuntur, ex merito passionis Christi fieri perspicuum est. Ipse enim vtramque mortem nostram, animæ scilicet, & corporis moriendo destruxit.

Secundum genus pęnarum est earum, quæ à Deo iustissimo Iudice sæpe hominibus ad aliquod peccatum castigandum immittuntur; differuntque à naturalibus in eo, quod istæ non principaliter infliguntur à Dẽo in vindictam peccatorum actualium, aut personaliũ, sed naturali quodam ordine ex causis naturalibus contingunt ob peccatum originale, quod est peccatum naturæ: illę vero per particularem prouidentiam à Deo immittuntur, & cum sint præter ordinem naturæ propriè Dei flagella vocantur; per illa enim Deus, quod est maximum amoris eius erga nos argumentum, vindicat, & vlciscitur hominum peccata publica, & occulta, non solum propria, sed etiam aliena, atque etiam per has pęnas patienter toleratas homo quoad pęnam temporalem per Christi merita non solum

lum pro se, sed etiam pro alijs satisfacere potest, sic fuerunt flagella Iob, & mors filij Dauid de quibus vide D. Thomam in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 4.

Loquendo ergo de his pęnis certum est aliquando redimi non posse, vel impediri, sed necessario Deo sic volente, ac decernente sustinendas esse. Talis fuit pęna illa Dauidis 2. regum 12. Etsi enim humi prostratus orauerit, & ieiunauerit, tamen mortem illam filij sui auertere non potuit, quia blasphemare fecisti, inquit Scriptura, inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. Talis etiam fuit pęna Mosis, ne intraret in terram promissionis; de qua legendus D. Grego. lib. 9. moral. cap. 30. Verum ex alia parte non minus eiusdem sacrę Scripturę authoritate certum est, aliquando etiam huiusmodi pœnas à Deo castigandi causa infligendas proprijs, aut etiam alienis auerti posse satisfactionibus. Nouit enim Dominus mutare sententiam, si nouerimus mutare vitam, non mutatione aliqua se tenente ex parte diuinę voluntatis, quę est omnino immutabilis, sed solum ex parte effectuum iuxta illud Ieremię 18. *Si pænitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pænitentiam super malo, quod cogitaui facere ei.* Habemusque pręclarum huius rei exemplum Isaię 38. in Rege Ezechia, cui pęnitentiam agenti. Fletu magno quindecim anni vitę adiecti sunt, quos abbreuiare per Isaiam ipsi comminatus fuerat Dominus. Vnde fit; valde probabile esse, quod etiam huiusmodi pœnæ possint interdum remitti beneficio Iubilæi cum debita præparatione suscepti. Cum enim illę eo nomine à Deo statuantur, vt homines purgationem satisfactiuam peccatorum faciant, vtique si per aliam viam, aut propriarum satisfactionum à Sacerdote in foro pęnitentiæ iniunctarum, vel sponte susceptarum, aut deuotę sacri Iubilæi acquisitionis, Deo satisfaciant, ab illis calamitatibus ex hac parte immunes reddi, de Dei bonitate præsumendum est, qui peccatis semel dimissis, quantum ad culpam per pœnitentiam, & contritionem, quantum vero ad pœnam temporalem per Iubilæi, ac Indulgentiarum participationem, ira sua in pietatem commutata flagella e manibus dimittit.

Tertium genus est pœnarum Ciuilium, & Ecclesiasticarum ad forum externum, siue contentiosum pertinentium. Et has pęnas per Iubilæum non relaxari conueniunt omnes Theologi: Si enim eas tolleret, tota potestas Ecclesiastica, & Ciuilis eneruaretur, dareturque occasio hominibus multa mala perpetrandi proposita sibi

per

per Indulgentias, aut Iubilæos impunitate. Deinde cum hæ pęnæ forenses, ac iudiciales, siue Ecclesiasticæ, siue politicę, alium finem, ac effectum habeant, quam bonum particulare, seu proprium ipsius debitoris, eumque valde vtilem, ac necessarium, nempe vt seruetur humana societas; seruetur iustitia, & pax inter subditos; & improbi suppliciorum metu à flagitijs abstineant: boni vero securitate in bene agendo perfruantur; non expedit per Iubilæi concessionem huiusmodi pœnas debitas humano iudicio in foro exteriori Ecclesiastico, aut ciuili promiscuè, & absque vllo discrimine pro quibuscunque peccatoribus ordinarie condonari. Dixi, ordinarie, quia non nego, quin possit aliquando Ecclesia per Iubilæum, aut aliam quamcumque indulgentiam concedere alicui homini singulari pænam canonicam ad forum suum spectantem: fauet enim aliquo pacto historia D. Pauli 1. Corinth. c. 5. & 2. cap. 2. qui Corinthiũ incæstuosum absoluit à vinculo excommunicationis, & reliquam partem pœnitentiæ illi remisit.

Quartum genus est pœnarum fori interni, seu pœnitentialis, quas videlicet Confessores iniungunt pœnitentibus in Sacramento Confessionis, suntque in duplici differentia: aliæ quasi prophylacticæ, & præseruatrices, seu medicinales, vt loquitur D. August. in Ps. 57. quia imponuntur tanquam præcautiones ad impediendum, & vitandum peccatum, cui pęnitens fuerit obnoxius, vel potius ad corrigendam, ac refrenandam immoderatam peccandi propensionem: vt cum Sacerdos hominibus auaris imperat eleemosynarum elargitionem, & gulæ deditis ieiunia. Aliæ vero sunt expiatoriæ, seu redemptrices pœnarum, quibus nempe satisfacimus iustitiæ diuinę, & debitas pęnas redimimus, quæ propterea dicuntur satisfactiones, suntque tertia pars Sacramenti pęnitentiæ, de quibus loquitur Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. & 9. & can. 4. 12. 13. & 14. Loquendo de prioribus pęnis: certum est non condonari, nec remitti per vllam Iubilæi concessionem cum absolute iniungantur ad emendationem vitæ, vt pęnitens caueat sibi in posterum, actibusque contrarijs habitus contrarios vitijs acquirere studeat, debetque Sacerdos pęnitentem huius rei admonere, nimirum se illi absolute imponere hoc opus, quod & adimplere teneatur non obstante cuiuscumque Iubilæi beneficio, quia scilicet opus ei necessarium est ad prædictum finem. Tota ergo difficultas reducitur ad posteriores pęnas, an nimirum per Iubilęi concessionem remittantur. Sed cum decisio ipsius dependeat ex intelligentia quarumdam formularum, quæ a

Sum-

Summis Pontificibus in suis bullis adhiberi solent,commodius agemus de illa infra controuersia 19.cap.3. vbi tractando de effectibus Iubilæi illas explicabimus formulas.

Quintum genus est pęnarum canonicarum, hoc est quę in sacris canonibus pro vno quoque peccato in pęnitentiario Romano, & alibi iniunctę reperiuntur, quęcumque fuerint illæ, de his enim, earumque qualitate non mediocris est inter Doctores controuersia. Quę pęnę cum hodie non obligent nec existant, sed in desuetudinem abierint, negat Nauarrus in Manuali cap.26.num.17. huiusmodi pęnas per Iubilęum condonari; quamuis alij teneant oppositum, existimantes per iniunctas pęnas, quarum in bullis Pontificijs fit mentio, intelligi debere canonicas. Sed de hoc fusius agendo de effectibus Iubilęi. Nunc tanquam certum suppono huiusmodi canonicas pęnas, temporibus illis, quibus vigebant,ac vsu receptę erant, quas nec nisi demens damnare potest, cum Tertullianus illarum formulas accurate scribat in lib. de pęnit. atque etiã in libro de pudicitia, & Cyprianus serm.5.de lapsis ambo vetustissimi Scriptores. tanquam certum, inquam, suppono: pęnas illas à Sacris Canonibus statutas, ac laxatas sępius per indulgentiarum concessionem fuisse remissas, atque relaxatas,vt videre est in Conc. Cartag.4.cap.76. alijsque supra citatis controuersia 3. cap.1. Vnde Euthychiani in sua Epistola, quę habetur in Conc. Chalcedonensi act.1. *Superuenit*, inquiunt, *& salutaris dies passionis, & sacra nox, & Resurrectionis festiuitas, in qua plurimis peccatoribus à Sanctis Patribus nostris damnationes soluuntur*. Opportunitate enim dierũ festorum, qui pręcipuè in Ecclesia celebrantur, solitas esse fieri Indulgentiarum condonationes, ad animos videlicet fidelium propter beneficium exhilarandos iam supra adnotauimus.


Sextum genus est pęnarum, quas voluntarias possumus appellare. quia pęnitens post gratiam sanctificantem, ac iustificantem iam adeptam, ad vindictam suorum peccatorum sua sponte, & ex mera electione in propria persona, asperrimum vitę genus, in orationibus, ieiunijs, solitudinibus, alijsque operibus pęnalibus ducendum assumit. Tales etiam pęnas per Sacrum Iubilęum quasi indirecte tolli, vel impediri indubitatum esse debet, quatenus per dignam Sancti Iubilęi, qui est plenissima indulgentia, consecutionem, fit, vt illis pęnitentijs amplius non indigeat ad satisfaciendum diuinę iustitię pro pęna aliqua temporali, quam deletam supponimus Iubilęi ritè suscepti opera, ac beneficio. Nihilominus tamen cum multo

multo salutarius, & efficacius satisfactionibus proprijs, seu pęnitentiæ operibus, quam indulgentijs, pœnis ipsis temporalibus satisfaciamus: Sintque talia opera non solum satisfactoria, sed etiam meritoria, & personam multo melius, & diuturnius in debito officio contineant, laudabilius est semper illis feruenter incumbere, etiam post Iubilæum susceptum. Præterquam quod enim operanti sunt valde fructuosa, & meritoria vlterioris gradus gratiæ, & gloriæ, sunt etiam alijs Ecclesiæ membris ratione superabundantis satisfactionis vtilissima.

Septimum tandem, & vltimum pœnarum genus, est illarum, quas peccata post baptismum commissa, & per pœnitentiam, quæ est secunda post naufragium tabula, remissa meruerunt in foro interno Dei, vel in foro animæ, quæque in purgatorio luendæ, ac persoluendæ essent vsque ad vltimum quadrantem, si homo in tali statu moreretur, priusquam dignos egisset pœnitentiæ fructus. Et ab his pœnis per Iubilæi concessionem, deuotamque acquisitionem fideles illis obnoxios liberari docent omnes Theologi, ita vt hic sit proprius, & peculiaris indulgentiarum, ac Iubilæorum effectus. Quod sic probatur. Si enim Iubilæus, qui est plenissima quædam indulgentia, relaxaret solum pœnam iudicio Ecclesiæ hic debitam, non etiam luendam in purgatorio, sequeretur Iubilæi concessionē non solum non esse proficuam, ac vtilem, sed etiam noxiam fidelibus Catholicis, ijsque ingens damnum, ac detrimentum afferre; si quidem remitteret solum pęnas huius vitæ, quæ sunt tamen longè mitiores, & leuiores, interimque purgatorio reseruaremur, vt illic satisfaceremus, vbi & dolores longè acerbiores, multoque atrociora tormenta reperiuntur. Vnde merito D. Thom. in supplemento q. 25. art. 1. confutat sententiam aliquorum existimantium per Iubilæum, & alias quascumque indulgentias solum in Ecclesiæ foro remitti pęnam satisfactoriam, quæ iniuncta sit in Sacramento pænitentiæ, vel quæ sit decreta per Ecclesiæ canones, ne scilicet pænitens teneatur eam adimplere, nullam autem pęnam condonari, quę sit debita in foro, seu iudicio Dei. Secundum enim hanc opinionē plus noceret, vt diximus, quam prodesset, Iubilæus; atque ita etiā ab omnibus fuit explosa; differtque valde ab illa quorumdam Doctorum orthodoxorum hoc etiam tempore sentientium, Iubilæum non concedi ad remissionem pęnæ purgatorij absolutè, sed pænæ in purgatorio respondentis ijs operibus satisfactorijs, quæ in Sacramento pęnitentiæ sunt iniuncta, hoc est quæ per iniuncta eius-

modi satisfactoria opera redimeretur: Concedunt enim ij nihilominus pœnam aliquam iudicio Dei debitam, ac in eius foro luendam remitti, nempe illam quæ per eiusmodi impositas pœnitentias fuisset relaxata, ac redempta; ita vt iuxta hanc sententiam indulgentiæ sint solum remissiuæ pœnarum in purgatorio secundum ordinem diuinæ iustitiæ luendarum, veluti mediatè, non autem immediatè.

† † † † †
† † †
†



CON-

CONTROVERSIA VI.

De Iubilæo ex parte causæ formalis consideraro.

CAPVT I.

Quod remissio pœnæ temporalis beneficio Iubilæi facta sit vera solutio.



VM remissio pęnę temporalis extra Sacramentum plenissimè facta ex vi dispensationis Thesauri Ecclesiastici se habeat per modum formę, vltimęque differentiæ in Iubilęo Ecclesiastico, primum quod occurrit explicandum, est, an talis remissio sit vera solutio, & compensatio pęnæ temporalis ab ipsis peccatoribus debitę; quatenus nempe tantumdē pretij, seu satisfactionis à Summo Pontifice ex thesauro extrahitur, Deoque offertur, & exhibetur, quantum ipsi peccatores in foro Dei debent.

Franciscus Mayronis. qui thesaurum ab Ecclesia sustulit, vt vidimus supra, conformiter huic opinioni asseruit dispensationem, seu concessionem Iubilæi nihil aliud esse pręter absolutionem à pœna, quæ à Summo Pontifice absque vlla penitus solutione pretij, seu satisfactionis impenditur vi suæ Iurisdictionis, & potestatis per hæc verba, *quodcumque solueris super terram &c.* aut *quacumque remiseritis*, à Christo principaliter acceptę.

Verum hanc opinionem esse erroneam cōmuniter docent Theologi, vnde statuendum est remissionem per Iubilæum factam esse veram solutionem.

Primum probatur omnibus illis argumentis, quibus superiorī controuersia demonstrauimus extare in Ecclesia thesaurum, seu cumulum infinitum meritorum, & satisfactionum Christi Domini: ab ipso enim Ecclesię relictus est, vt pretium compensationis pœnarum, quę pro peccatis debentur, depromatur, Deoque exhibeatur & offeratur.

Secundo probatur ex illo Apostoli ad Hebræos *sine sanguine*, intellige Christi, *non fit remissio. nec est aliud nomen sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri credentes*. Vnde sic argumentamur. Sicuti se habet in Sacramento pænitentię remissio culpæ, & pænæ æternæ, ita proportionaliter possumus concipere, quod se habeat extra Sacramentum remissio pænæ temporalis beneficio Iubilæi. Sed in Sacramento pænitentiæ, quantumuis sit actus clauium, seu iurisdictionis perfectissimus, per illud tamen culpa, & pæna æterna culpæ lethali debita; non aliter quam per applicationem meritorum, & satisfactionum Christi remittitur, vt apertè significant citata, aliaque innumera S. Scripturæ loca. ergo etiamsi Iubilæi concessio sit actus clauis iurisdictionis: hoc tamen non obstabit, quin pænę temporales adhuc iudicio diuino persoluendæ, remittantur in ipso, interueniente solutione, & applicatione meritorum in thesauro Ecclesiæ repositorum.

Tertio illius tantum est pœnam aliquam debitam, nulla penitus interueniente solutione, aut compensatione relaxare, & remittere, qui in eam plenam, & independentem potestatem habet, qualis est ille, qui aut causam ex qua nata est, potest liberè, & absolutè condonare, aut qui pro arbitrio pœnam illam statuit absque vllius alterius respectu: at qui Summus Pontifex talem non habet facultatem. Nam primo cum sit tantum Minister ipsius Christi pro iustificatione, & remissione peccatorum, culpam, quę pœnæ causa fuit absque applicatione meritorum, & satisfactionum Christi nequit remittere. Secundo cum agatur hic de pœnis, quę in foro Dei per se primo laxatæ sunt, cuiusmodi sunt pœnę ignis purgatorij, solus Deus est. qui suprema sua authoritate de his pœnis edixit, atque adeo solus, qui eas plene, & liberaliter absque vlla compensatione potest condonare ideoq; Summus Pontifex eas duntaxat per solutionem, & compensationem ex thesauro Ecclesię desumptam relaxabit.

Dices. Sicuti se habet in absolutione à pœna excommunicationis, aliarumque censurarum, ita etiam proportionaliter possumus concipere quod se habet in pręsenti. Sed Summus Pontifex ab excommunicatione, & alijs censuris à peccato causatis, motu proprio, de plenitudine suę potestatis valet absoluere sine vlla quorumcumque meritorum, & satisfactionum applicatione. ergo idem debemus asserere de remissione pœnę in Iubilęorum concessione, itaut sola quędam iuridica absolutio sufficiat.

Respondetur negando paritatem inter absolutionem ab excommuni-

muni-

municationé, & relaxationem pœnarum temporalium. cum enim excommunicatio, & alię censurę Ecclesiasticę sint pœnę fori exterioris, à sola Ecclesię ordinatione profectę, per quarum absolutionem nulla prorsus culpa, aut pœna coram Deo remittitur, sed tantum auferuntur quędam impedimenta, ratione quorum personę illis innodatę spiritualibus quibusdam prerogatiuis in Ecclesia priuantur, bene potest fieri illarum relaxatio, sola iuridica eorum, qui Ecclesię pręsunt, potestate, nulla penitus interueniente solutione. Secus vero in remissione pœnarum temporalium, quę sunt verè, & realiter coram Deo debitę, & suapte natura, citra vllam Ecclesię ordinationem à culpa causatę. Vnde in Iubilęorum concessione Summus Pontifex pro arbitrio non potest absque applicatione meritorum Christi eas remittere, & condonare. Idque si attentaret, talis concessio nulla penitus esset, eo enim ipso, quod potestas Summi Pontificis est tantum potestas Vicarij, qui à pręscripto, & volũtate Domini principalis recedere non potest, & si recedit, eius actus nullus est, & inualidus. non potest aliter Pontifex pęnas illas temporales remittere, quam prout verus Dominus, nempe Deus, edicit, ac statuit. cum ergo satisfactiones, & merita in acceptatione diuina perpetuo reposita, ad relaxandas illas pęnas temporales retulerit, & ordinauerit, vt sic Christus esset Redemptor noster vndequaque perfectus, non potest Pontifex eas aliter remittere, quam per earumdem satisfactionum applicationem, & exhibitionem Deo promittenti solutionem in Cœlis eorum, quę fuerint prius in terris soluta ab his, qui Ecclesię pręsunt.

CAPVT II.

Quod remissio pœnæ temporalis beneficio Iubilæi facta ita sit vera solutio, vt sit etiam iuridica quædam absolutio respectu viuorum.

ISta propositio est contra Durandum in 4. distinct. 20. q. 3. Paludanum ibidem quęst. 4. & alios existimantes Indulgentias esse dũtaxat solutionem, & compensationem pœnę temporalis ex communi Ecclesię thesauro desumptam, absque vlla absolutione, aut iuridica remissione ex parte Pontificis illas concedentis; itaut secundum

cundum illos authores indulgentiarum, ac Iubilæorum elargitio sit solum actus cuiusdam curæ, seu prouidentiæ Pastoralis erga fideles.

Nihilominus nostra sententia est communis inter Theologos; videturque colligi manifestè primo ex modo loquendi, quo vtitur Ecclesia conferendo Iubilæos, ac indulgentias pro viuis, etenim has aliquando vocat peccatorum, hoc est pœnarum temporalium, sumpto nomine causæ pro effectu, absolutiones, & remissiones, vt cap. *quod autem*. cap. *cum eo*, & cap. *ad nostrum*. & in Bulla Martini Quinti sess. vltima Concilij Constantiensis.

Secundo Alexander III. consultus de Indulgentijs ab Episcopis in Ecclesiarum dedicatione concedi solitis, definit eos non posse indulgentias nisi subditis suis conferre, easque alijs minime prodesse, afferens pro ratione, *Quia nemo nisi a suo Iudice ligari potest aut absolui*. Quibus verbis aperte innui videtur præter solutionem, & compensationem pœnarum debere Iubilæum, aliasque indulgentias pro viuentibus absolutionem iuridicam etiam includere.

Tertio probatur ratione quia si Iubilæus non esset iuridica, seu iudiciaria quædam absolutio pœnarum, sed plena tantum earum solutio, vix esset ratio distinguendi Iubilarem indulgentiam, pro viuis concessam, ab his, quæ sunt pro defunctis, in quos eo ipso, quod Ecclesia non habet iurisdictionem, indulgentiæ ipsis applicatę non sunt proprie iudiciales, nec per modum absolutionis, sed potius solutionis, ac prętij, vt infra controuersia 2. explicabimus. At respectu viuorum, in quos veram exercet iurisdictionem, non solum Indulgentia habet rationem solutionis, & pretij, sed etiam absolutionis iuridicæ, ad quam nihil aliud videtur requiri, nisi vt is, qui absoluitur, sit inferior absoluente; eique subditus.

Sunt qui probant conclusionem positam ex hoc, quod potestas concedendi Iubilæum, aliasque indulgentias pertinet ad potestatem clauium, quæ est duplex, ordinis nempe, & iurisdictionis, vnde cum potestas concedendi indulgentias non pertineat ad clauem ordinis, siquidem extra Sacramentum exercetur, talis potestas, pertinebit ad clauem iurisdictionis.

Quamuis alijs non placeat hæc ratio ex potestate Clauium deducta: quandoquidem cum tria in conferendis indulgentijs reperiantur, dispensatio thesauri, applicatio solutionis, & absolutio à pœna, quæ tria sunt actus clauium; siquidem nullum horum potest

test ab alijs prouenire, quam ab his, qui Ecclesiæ præsunt, ex hoc pręcise, quod Indulgentiæ sint actus clauium, non magis sequitur eas esse absolutionem à pœna, quam vel dispensationem thesauri, aut applicationem solutionis, nisi aliquid aliud addatur; quod nimirum omnis homo viuens, qui baptismum semel recepit, sit Ecclesiæ spiritaliter subditus, id enim sufficere videtur; vt dicantur Indulgentiæ viuis concedi per modum iudicij, & absolutionis, ad distinctionem earum, quæ dantur pro defunctis, qui iam sunt alterius fori extra statum viæ, extra Ecclesiam visibilem.

Dices. Ecclesia nullam habet in Purgatorij pœnas iurisdictionem, quia sunt alterius fori. ergo nec fideles etiam viuentes possunt ab illis iuridice absolui beneficio Iubilęi ab Ecclesia concessi.

Respondetur negando consequentiam, etsi enim iurisdictio Ecclesiæ non sit circa Purgatorium, nisi indirecte, & consequenter, at tamen est directè circa homines viuentes sibi per baptismum subditos. quod sufficit, vt eos Iubilæi beneficio dicatur Ecclesia absoluere à Purgatorijs pœnis; sicut dum absoluit à peccatis mortalibus in Confessionis Sacramento, non dicitur directè habere potestatem in ipsum infernum, & pœnas inferni, à quibus liberat, & absoluit, sed solum directè in ipsos pœnitentes sibi à Deo commissos, & creditos.

Vltimo tandem probatur nostra conclusio reijciendo breuiter opposita fundamenta durandi, & aliorum. Quia si esset aliqua ratio, quare Iubilęi concessio, non esset respectu viuentium iuridica quædam pœnarum absolutio, maximè quia Pontifices in suis bullis dicunt se huiusmodi Iubilæos misericorditer elargiri: vel quia sequeretur, quod exerceri posset in inuitum, & reluctantem, vt patet in absolutione à censuris, vel tandem, quia Summus Pontifex esset incapax consequendi Iubilæum, non enim habet superiorem in spiritalibus, & nemo iurisdictionem in seipsum habere potest. Sed ex his omnibus nullo modo argui potest, quod Iubilæi concessio non sit iudicialis, nec per modum absolutionis ergo, &c.

Ostenditur quoad primum. quoniam Iubilęorum concessio vocari potest misericordiosa elargitio ex parte motiui, quia scilicet miseriæ alienę consideratione permoti Pontifices vtuntur spiritali sua potestate, ac iurisdictione ad relaxandas per Iubilæum hominum pœnas. Vnde non sequitur, quod talis Iubilæi largitio non sit actus iurisdictionis, sed paternæ solum misericordię, & prouidentię

dentiæ in Summo Pontifice. Deinde non repugnat, quod vnus, & idem actus sit misericordiæ simul, & iurisdictionis, siquidem multa etiam sunt beneficia, quę ab alio, quam à superiore iurisdictionem habente, conferri non possunt, vt patet in infinitis exemplis.

Nec etiam sequitur ex hoc, quod remissio pœnę temporalis beneficio Iubilęi facta sit respectu viuorum iudicialis absolutio, non sequitur, in quam, posse exerceri in renitentem, & inuitum. Vniuersaliter enim non omnis actus iurisdictionis exercetur in inuitum, & renitentem, vt patet in actu absolutionis Sacramentalis. nisi enim quis sponte se submittat sacerdoti, cui de peccatis confitetur, nunquam poterit absolutionem consequi. ideoque iam contra Durandum non omnis actus iurisdictionis vniuersaliter exercetur in inuitum. Deinde loquendo de actu iurisdictionis fauorabilis exterioris, seu quæ exercetur extra Sacramentum, tunc solum exercetur in renitentem, & inuitum, quando ex parte suscipientis nulla penitus requiritur dispositio, vt patet in absolutione ab excommunicatione, nec enim nec esse est eum, qui ab ea absoluitur, esse per gratiam dispositum, quod tamen requiritur indispensabiliter peo lucrandis Indulgentijs, sicut etiam quod opera, quæ in Indulgentia, aut Iubilæo præscribuntur, sponte, & voluntarie adimpleantur. Vnde non mirum si inuito, & renitenti nihil prosit Iubilęus, quamtumuis sit actus iurisdictionis fauorabilis.

Quod spectat ad tertium, Nauarrus tract. de Iubil. notab. 2. n. 9. existimat Pontifices consequi Iubilęum ab ipsis datum per modum solius compensationis, & solutionis, non autem per modum iuridicæ absolutionis, ne, inquit, in se ipsos iurisdictionem exerceant, quam tamen respectu aliorum habere possunt. Nihilominus verius est Summum Pontificem etiam per modum iuridicę absolutionis Iubilæum à se ipso concessum lucrifacere.

Primo quia absolutio à pœnis temporalibus, qui per Iubilęum plenissime conceditur, non est sententia aliqua particularis, quæ in certam personam feratur. Sed est instar statuti cuiusdam vniuersalis ad totam Ecclesię communitatem spectantis: tale autem statutum, quamuis non obliget superiorem, quoad vim coactiuam obligat tamen eum quoad vim directiuam, & perfectiuam, potestque eum afficere, & iuuare, quatenus est pars, eaque pręcipua communitatis. Deinde licet quis in se ipsum iurisdictionem coa-

ctiuam,

ctiuam, & obligatoriam exercere non possit, fauorabilem tamen, perficientem, & benefactiuam exercere potest, nullaque in hoc videtur esse repgnantia. Sicut enim Pontifex simul est Christi Vicarius, & homo peccator, ita nihil impedit, quominus sub his diuersis rationibus in se ipsum iurisdictionem exerceat, atque se ipso superior, & inferior. Neque hic maior est difficultas, quam vbi agitur de absolutione Sacramentali à peccatis, & quæritur quomodo hæc Summis Pontificibus concedi possit.

CAPVT III.

Principalius esse in Iubilæo, quod sit solutio quam quod sit absolutio.

Probatur primo. Illud est in aliqua re principalius, quod est prius, & à tali re importatur in recto. Sed in remissione pœnarum temporalium Iubilæi ope, ac beneficio facta, applicatio meritorum, & satisfactionum Christi per modum solutionis, prior est absolutione, & condonatione iuridica facta à Pontifice. Insuper Iubilæus in recto dici potest esse talis solutio, & in obliquo absolutio iuridica, quatenus nempe ista solutio, & compensatio extracta ex thesauro Ecclesiæ connotat, & includit potestatem clauium, quæ est plenissime in Summo Pontifice; ergo magis principaliter videtur pertinere ad naturam Iubilæi, aliarumque indulgentiarum, quod sit solutio, quam quod sit iuridica absolutio.

Secundo. illud est in aliquo principalius, quod est cum illo indispensabilius connexum, atque coniunctum: atqui cum natura Iubilæi videtur esse quid indispensabilius coniunctum, quod sit solutio, quam quod sit absolutio, ergo, &c.

Probatur minor; quia non potest Summus Pontifex quamuis plenissimam habeat facultatem relaxare extra Sacramentum pœnas temporales Deo debitas, quod idem est, ac concedere Iubilęum, absque applicatione satisfactionum Christi ex thesauro Ecclesiæ depromptarum, atque adeo, quin interueniat vera solutio, quod tamen potest absque vlla absolutione iuridica, vt patet in animabus Purgatorij, quibus Iubilęi, & Indulgentiæ ex dicendis infra, non iuridice, aut iudicialiter propriè, sed potius per modum suffragij, & subsidij, vel solutionis alicuius applicando, &

exibendo merita, & satisfactiones Christi, atque Sanctorum, conferuntur. Et si enim requiratur necessario aliqua authoritas clauium ad conferendas indulgentiis defunctis, nimirum potestas aperiendi, & applicandi thesaurum, non tamen requiritur potestas, & iurisdictio in eos, quibus applicatur; nec re vera Ecclesia talem habet iurisdictionem in eos, qui è viuis excesserunt.

Vnde loquendo de viuis; licet certior; & vsitatior modus concedendi Iubilæum sit, quando solutioni ex thesauro desumptæ accedit absolutio, & condonatio iuridica ex parte clauium, quatenus tunc Pontifex exercet authoritatem duplicem, nempe & respectu thesauri, vt illum aperiat, ac distribuat, & comparatione quoque personarum, quibus eundem thesaurum communicat. non implicat tamen, quominus Summus Pontifex possit etiam fidelibus in hac vita concedere illum per solam applicationem satisfactionum. & meritorum Christi; si enim potest hoc erga animas in igne purgatorij detentas, quid ni etiam erga adhuc viuentes homines

Deinde. satisfactio suapte natura videtur esse applicabilis absq; vlla absolutione iuridica, vt patet in fidelibus, qui interdum alijs suas applicant satisfactiones, cum tamen nullam penitus in ipsos iurisdictionem, aut potestatem habeant: ideoque non est dubium quin Christus Dominus talem facultatem Summo Pontifici reliquerit circa dispensanda bona Ecclesiæ communia, quam priuatus circa propria distribuenda habet; adeo tamen vt in hoc casu procederet Pontifex per modum suffragij, & non per modum iurisdictionis.

Dices. istę satisfactiones, quæ interdum alijs communicantur, & applicantur, aut per proprium operantem, aut etiam per superiores ordinum, personis de sua religione benemeritis, non sunt indulgentiæ. ergo etiam à pari in illo casu, in quo Pontifex sine absolutione iuridica solummodo applicaret merita, & satisfactiones Christi, talis applicatio non esset dicenda indulgentia.

Respondetur ad hoc argumentum: concedendo antecedens, & negando consequentiam: instando manifeste in Indulgentijs pro mortuis, quæ sunt veræ indulgenriæ; & tamen conceduntur per modum solius compensationis absque vlla absolutione iuridica, aut iudiciaria proprie formaliter.

Satisfactiones ergo, quæ in modo obiectione posito alijs applicantur, si non sunt Indolgentiæ, non prouenit ex defectu absolutionis

tionis iuridicę, sed quoniam vt D. Thom. in Supplemento q. 26. art. 1. docet, huiusmodi communicatio ex communi thesauro Ecclesię non depromitur, sed ex cumulo satisfactionum determinatę cuiusdam personæ, & congregationis, neque insuper fit ex satisfactionibus aliquibus prętεritis, quæ sint iam ante in acceptatione diuina, tanquam thesaurus quidam repositæ, sed tantum ex satisfactionibus futuris, vt recte explicat Sotus distinct. 21. q. 1. art. 4. quæ enim opera iam sunt peracta à fidelibus, si ea illis ad satisfaciendum per se necessaria non fuerunt, nec ab ipsis specialiter alijs applicata, statim tanquam bona à proprijs Dominis derelicta accedunt ad communem Ecclesiæ thesaurum, ex quo non nisi per eos, qui Ecclesię præsunt, quique dominium quoddam politicum, siue publicum in fideles habent; possunt extrahi. Vnde opera satisfactoria per aliquem particularem, aut etiam ordinum superiorem fidelibus applicata se habent solum per modum deprecationis, non autem per modum Indulgentiæ, non defectu absolutionis iuridicę, quæ ad indulgentiam indispensabiliter non requiritur, sed propter rationes iam allatas.



CONTROVERSIA VII.

De Iubilæo ex parte causæ efficientis.

CAPVT I.

Quibusnam competat authoritas concedendi Iubilæum Ecclesiasticum:



OQVENDO de causa efficiente principali, certum est apud omnes talem facultatem competere soli Christo Domino, in quo est & potestas excellentię remittendi peccata, & dominium thesauri, per cuius applicationem, ac dispensationem fit in Iubilæo hæc plenissima remissio, vnde solum esse potest difficultas in præsenti, de causa instrumentali, seu ministeriali. Et si enim Christus Dominus sit ipse principalis author huius beneficij, quod est plenissime remittere per Iubilæorum concessionem, omnem penitus reatum pœnę temporalis, noluit tamen immediate per se ipsum hoc munus exercere iuxta ordinariam legem, sed per homines, quibus potestatem ligandi, & soluendi contulit.

Asserimus ergo primo. Summum Pontificem hoc ipso, quo est legitime electus concedendis Iubilæis, tam iure Diuino, quam Canonico plenissimam habere potestatem. Ius enim Diuinum clarissime habetur D. Matth. 16. *Dabo tibi claues, & quodcumque solueris, &c.* Et Ioannis vltimo, *Petre pasce oues meas*. Vbi scilicet Christus singulariter alloquitur Diuum Petrum, & in eius persona quemlibet ipsius Successorem Romanum Pontificem. Quæ enim Petro ratione officij promittuntur, & competunt omnibus etiam eius Successoribus conueniunt. Dicitur ratione officij, quia quæ Petro conueniunt personaliter, vt patrare miracula, &c. suis Successoribus non conueniunt.

Ius vero Canonicum extat in Conc. Lateran. sub Innocent. III. cap. 62. & refertur cap. *cum ex eo* de pœnitentijs, & remissionibus vbi expresse declaratur plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis circa Indul-

Indulgentias conferendas refidere in Summo Pontifice. Inde enim fequitur manifefte ipfum poffe tempore, & loco dare indulgentias non folum plenas, fed etiam pleniffimas, cuiufmodi funt Iubilæi Ecclefiaftici.

Tandem probatur ratione. quia ille poteft in Ecclefia facri Iubilæi indulgentias concedere, qui thefaurum Ecclefiæ pleniffime difpenfare poteft. atqui Summus Pontifex Romanus, pleniffimam habet, non quidem exhauriendi totum thefaurum, cum fummus fit, & infinitus, fed illum difpenfandi, prout fidelibus iudicauerit neceffarium, totaliter, vel partialiter pœnam relaxando. ergo. Maior huius argumenti eft certa; cum per Indulgentiæ Iubilaris conceffionem nihil aliud intelligatur, quam pleniffima thefauri Ecclefiaftici diftributio in ordine ad remittendas pœnas temporales. Minor igitur probatur.

Ille pleniffime thefaurum Ecclefię diftribuere poteft, qui habet claues, & eft cuftos illius, fupremamque tenet in Ecclefia authoritatem. Siquidem talis difpenfatio, thefaurique Ecclefiaftici applicatio non tantum fit per modum folutionis, fed etiam abfolutionis, faltem refpectu fidelium viuorum. abfolutio autem includit iurifdictionem, & pleniffima abfolutio, qualis eft Iubilaris, pleniffimam iurifdictionem, & authoritatem. Deinde etiamfi fpectemus applicationem thefauri in genere folutionis, & compenfationis, adhuc etiam requirit pleniffimam clauium poteftatem, ob eandem rationem, bona enim communia alicuius reipublicæ, fi rectum ordinem difpenfationis infpiciamus, ab eo diftribuenda funt, cui credita eft fuprema, & abfoluta ipfius Reipublicæ gubernatio. Et in terris Summus Pontifex Romanus fupremam habet, non folum refpectu thefauri, vt illum aperiat, ac diftribuat, poteftatem, fed etiam refpectu omnium fidelium, cum fit ipfe primarius, & vniuerfalis domus Dei rector, Oeconomus, atque gubernator. Ergo per Iubilæi Ecclefiaftici conceffionem pleniffime poteft communem Ecclefiæ thefaurum fidelibus indigentibus diftribuere, ac difpenfare. Cum Deus, inquit Clemens VI. in extrauagante, *Vnigenitus*, illum non in fudario repofitum, non in agro abfconditum, fed per Beatum Petrum Cęli clauigerum, eiufque Succeffores fuos in terris Vicarios commiferit fidelibus falubriter difpenfandum, & proprijs, & rationalibus caufis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiffione pœnæ temporalis.

Confirmatur hoc quoniam ad indulgentiam pleniffimam, & vniuerfalem,

cedere, maximè quia illud vniuersalem Ecclesiam repræsentat, imo est ipsa Ecclesia vniuersalis, de qua dicitur Matth 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*, & statim subiungitur eadem promissio, *Quacumque ligaueritis, &c.* Sed ista ratio non concludit. cum ex Diuo Chrisostomo, ibi nomine, *Ecclesiæ*, intelligantur Pastores Ecclesię, neque enim verbum, quod præcedit, *dic Ecclesiæ*, referri potest ad Concilium generale, quod non est semper congregatũ, nec etiã expedit, vt peccata correctione digna toti Ecclesiæ conciliariter congregatę semper denuntientur. Quod autë ibi promissa dicitur potestas iurisdictionis per illa verba, *Quacumque ligaueritis, &c.* non obstat; nam propria promissio singulariter facta est D. Petro, & illi etiam fuit specialiter à Christo data, eiusq; Successoribus, per quos communicaretur alijs.

Probatur secundo. quia Concilium viuente Pontifice legitime congregatum, quatenus quoddam corpus mysticum est vniuersalem Ecclesiam repræsentans nullum aliud genus Iurisdictionis immediate à Christo Domino collatum habet. ergo neque etiam illi dedit hanc iurisdictionem necessariam ad instituendum Iubilæum: Consequentia videtur esse certa à paritate rationis, imo a fortiori, cum institutio Iubilæi non sit actus Iurisdictionis ex necessarijs ad regimen Ecclesiæ.

Antecedens ergo, in quo est difficultas, probatur primo ex hoc, quod regimen Ecclesię semper fuit Monarchicum, & pendẽs ab vno Capite, idque non ex hominum institutione, quæ mutari potest, sed Christi, quæ immutabilis est. Secundo, quia non expedit, vt ad vnum, & eundem iurisdictionis actum duæ sint simul in Ecclesia potestates vniuersales; quia vel essent sine vlla subordinatione inter se, & hoc esset inordinatum: vel vna dependeret ab altera, & tunc ea, quæ dependet, originabitur ab alia, & non erit immediate à Christo.

Nec obstat, quod plenaria Indulgentia concessa fuerit aliquando à Concilio Basileensi, vt refert Panormitanus sermone, quem in hoc concilio habuit. Primo enim dici potest illud factum fuisse ex generali commissione Summi Pontificis, cuius legati ibi aderant, & sub cuius obedientia sess. 24. ad huc concilium illud pro cedebat. Quia autem postea sess. vltima idem Concilium deposito Eugenio IV. iterum indulgentiam concessit, talisque concessio non potest refundi in authoritatem Summi Pontificis. Respondetur talem concessionem fuisse illegitimam. Nec est quod vel minime

moueat

moueat cordatum virum huiusmodi conciliabuli authoritas, quod tanquam Schismaticum, & seditiosum reprobatur, sess.2. Concilij Lateranensis sub Leone X. Quam censuram saltem pro tempore Eugenij reuocationem subsequente vim habere manifestius est, quam vt probari debeat, si quidem viuente Summo Pontifice conditio omnium maximè essentialis est ad rationem Concilij generalis, & Oecumenici, vt ipse per se, vel per Legatos præsideat Pontifex, alias enim futura sunt acephala, potiusque latrocinia, quam Concilia, cum præcipuam, & nobiliorem, cæterisque alijs præferendam Ecclesiæ partem minimè tunc repręsentent.

Quod huc vsque de Concilio generali vnito Capiti per Legatos asseruimus, idem penitus de Concilio per mortem Summi Pontificis acephalo dicimus; & si enim posset alicui videri maiorem tunc temporis esse rationem, ac necessitatem cur Ecclesia carente capite, Concilium generale tunc legitime congregatum posset plenariam indulgentiam concedere. Nihilominus tamen, quia huiusmodi concilium ita refert Ecclesiam Vniuersalem, vt illam sine capite repræsentet, non potest Indulgentiam aliquam plenariam concedere, aut Iubilæum instituere, etenim si Concilium legitimum viuente Pontifice illam facultatem non habet immediate à Christo, qua ratione illam habebit mortuo Pontifice. Quod sic potest ostendi.

Si enim esset aliqua ratio cur Concilium generale tali tunc esset præditum potestate, maxime quia id necessitas bonumque regimen Ecclesiæ videtur exigere. Sed ista ratio nulla est penitus. Primo, quia sola necessitas non dat potestatem, nisi probetur ab eo concessa, qui est principalis Dominus, quod tamen hic ostendi non potest, cum ex dictis supra Christus Dominus nunquam dederit hanc potestatem Ecclesiæ, sed soli Petro, eiusque legitimis successoribus, pœnes quos omnis potestas iurisdictionis ordinarię, & perpetuo duraturæ in Ecclesia residet. Secundo, quia concessio Indulgentię plenariæ, aut Iubilęi institutio non est actus iurisdictionis ex necessarijs ad Regimen Ecclesię præsertim pro breui tempore, quo durare solet in Ecclesia carentia Capitis.

Vnde licet Concilium congregatum eo tempore, quo Ecclesia caret Pontifice, tunc quidem habeat eam potestatem, quæ pręcise necessaria est ad regimen Ecclesię pro eo tempore, donec Electio Pontificis fiat; quæ iurisdictio ex diuino iure illi competit, non quidem per specialem aliquam concessionem, sed veluti ex

 natu-

cundum illos authores indulgentiarum, ac Iubilæorum elargitio sit solum actus cuiusdam curæ, seu prouidentiæ Pastoralis erga fideles.

Nihilominus nostra sententia est communis inter Theologos; videturque colligi manifestè primo ex modo loquendi, quo vtitur Ecclesia conferendo Iubilæos, ac indulgentias pro viuis, etenim has aliquando vocat peccatorum, hoc est pœnarum temporalium, sumpto nomine causæ pro effectu, absolutiones, & remissiones, vt cap. *quod autem*. cap. *cum eo*, & cap. *ad nostrum*. & in Bulla Martini Quinti sess. vltima Concilij Constantiensis.

Secundo Alexander III. consultus de Indulgentijs ab Episcopis in Ecclesiarum dedicatione concedi solitis, definit eos non posse indulgentias uisi subditis suis conferre, easque alijs minime prodesse, afferens pro ratione, *Quia nemo nisi a suo Iudice ligari potest aut absolui*. Quibus verbis aperte innui videtur præter solutionem, & compensationem pœnarum debere Iubilæum, aliasque indulgentias pro viuentibus absolutionem iuridicam etiam includere.

Tertio probatur ratione quia si Iubilæus non esset iuridica, seu iudiciaria quædam absolutio pœnarum, sed plena tantum earum solutio, vix esset ratio distinguendi Iubilarem indulgentiam, pro viuis concessam, ab his, quæ sunt pro defunctis, iu quos eo ipso, quod Ecclesia non habet iurisdictionem, indulgentiæ ipsis applicatę non sunt proprie iudiciales, nec per modum absolutionis, sed potius solutionis, ac prętij, vt infra controuersia 2. explicabimus. At respectu viuorum, in quos veram exercet iurisdictionem, non solum Indulgentia habet rationem solutionis, & pretij, sed etiam absolutionis iuridicæ, ad quam nihil aliud videtur requiri, nisi vt is, qui absoluitur, sit inferior absoluente; eique subditus.

Sunt qui probant conclusionem positam ex hoc, quod potestas concedendi Iubilæum, aliasque indulgentias pertinet ad potestatem clauium, quæ est duplex, ordinis nempe, & iurisdictionis, vnde cum potestas concedendi indulgentias non pertineat ad clauem ordinis, siquidem extra Sacramentum exercetur, talis potestas, pertinebit ad clauem iurisdictionis.

Quamuis alijs non placeat hæc ratio ex potestate Clauium deducta quandoquidem cum tria in conferendis indulgentijs reperiantur, dispensatio thesauri, applicatio solutionis, & absolutio à pœna, quæ tria sunt actus clauium; siquidem nullum horum potest

test ab alijs prouenire, quam ab his, qui Ecclesiæ præsunt, ex hoc præcise, quod Indulgentiæ sint actus clauium, non magis sequitur eas esse absolutionem à pœna, quam vel dispensationem thesauri, aut applicationem solutionis, nisi aliquid aliud addatur; quod nimirum omnis homo viuens, qui baptismum semel recepit, sit Ecclesiæ spiritaliter subditus, id enim sufficere videtur; vt dicantur Indulgentiæ viuis concedi per modum iudicij, & absolutionis, ad distinctionem earum, quæ dantur pro defunctis, qui iam sunt alterius fori extra statum viæ, extra Ecclesiam visibilem.

Dices. Ecclesia nullam habet in Purgatorij pœnas iurisdictionem, quia sunt alterius fori. ergo nec fideles etiam viuentes possunt ab illis iuridice absolui beneficio Iubilęi ab Ecclesia concessi.

Respondetur negando consequentiam, etsi enim iurisdictio Ecclesiæ non sit circa Purgatorium, nisi indirecte, & consequenter, at tamen est directè circa homines viuentes sibi per baptismum subditos. quod sufficit, vt eos Iubilæi beneficio dicatur Ecclesia absoluere à Purgatorijs pœnis; sicut dum absoluit à peccatis mortalibus in Confessionis Sacramento, non dicitur directè habere potestatem in ipsum infernum, & pœnas inferni, à quibus liberat, & absoluit, sed solum directè in ipsos pœnitentes sibi à Deo commissos, & creditos.

Vltimo tandem probatur nostra conclusio reijciendo breuiter opposita fundamenta durandi, & aliorum. Quia si esset aliqua ratio, quare Iubilęi concessio, non esset respectu viuentium iuridica quædam pœnarum absolutio, maximè quia Pontifices in suis bullis dicunt se huiusmodi Iubilæos misericorditer elargiri: vel quia sequeretur, quod exerceri posset in inuitum, & reluctantem, vt patet in absolutione à censuris, vel tandem, quia Summus Pontifex esset incapax consequendi Iubilæum, non enim habet superiorem in spiritalibus, & nemo iurisdictionem in seipsum habere potest. Sed ex his omnibus nullo modo argui potest, quod Iubilæi concessio non sit iudicialis, nec per modum absolutionis ergo, &c.

Ostenditur quoad primum. quoniam Iubilęorum concessio vocari potest misericordiosa elargitio ex parte motiui, quia scilicet miseriæ alienę consideratione permoti Pontifices vtuntur spiritali sua potestate, ac iurisdictione ad relaxandas per Iubilæum hominum pœnas. Vnde non sequitur, quod talis Iubilæi largitio non sit actus iurisdictionis, sed paternæ solum misericordię, & prouidentię

dentiæ in Summo Pontifice. Deinde non repugnat, quod vnus, & idem actus sit misericordiæ simul, & iurisdictionis, siquidem multa etiam sunt beneficia, quę ab alio, quam à superiore iurisdictionem habente, conferri non possunt, vt patet in infinitis exemplis.

Nec etiam sequitur ex hoc, quod remissio pœnę temporalis beneficio Iubilęi facta sit respectu viuorum iudicialis absolutio, non sequitur, in quam, posse exerceri in renitentem, & inuitum. Vniuersaliter enim non omnis actus iurisdictionis exercetur in inuitum, & renitentem, vt patet in actu absolutionis Sacramentalis. nisi enim quis sponte se submittat sacerdoti, cui de peccatis confitetur, nunquam poterit absolutionem consequi. ideoque iam contra Durandum non omnis actus iurisdictionis vniuersaliter exercetur in inuitum. Deinde loquendo de actu iurisdictionis fauorabilis exterioris, seu quæ exercetur extra Sacramentum, tunc solum exercetur in renitentem, & inuitum, quando ex parte suscipientis nulla penitus requiritur dispositio, vt patet in absolutione ab excommunicatione, nec enim nec esse est eum, qui ab ea absoluitur, esse per gratiam dispositum, quod tamen requiritur indispensabiliter peo lucrandis Indulgentijs, sicut etiam quod opera, quæ in Indulgentia, aut Iubilæo præscribuntur, sponte, & voluntarie adimpleantur. Vnde non mirum si inuito, & renitenti nihil prosit Iubilęus, quamtumuis sit actus iurisdictionis fauorabilis.

Quod spectat ad tertium, Nauarrus tract. de Iubil. notab. 2. n. 9. existimat Pontifices consequi Iubilęum ab ipsis datum per modum solius compensationis, & solutionis, non autem per modum iuridicæ absolutionis, ne, inquit, in se ipsos iurisdictionem exerceant, quam tamen respectu aliorum habere possunt. Nihilominus verius est Summum Pontificem etiam per modum iuridicę absolutionis Iubilæum à se ipso concessum lucrifacere.

Primo quia absolutio à pœnis temporalibus, qui per Iubilęum plenissime conceditur, non est sententia aliqua particularis, quæ in certam personam feratur. Sed est instar statuti cuiusdam vniuersalis ad totam Ecclesię communitatem spectantis: tale autem statutum, quamuis non obliget superiorem, quoad vim coactiuam obligat tamen eum quoad vim directiuam, & perfectiuam, potestque eum afficere, & iuuare, quatenus est pars, eaque pręcipua communitatis. Deinde licet quis in se ipsum iurisdictionem coactiuam,

ctiuam, & obligatoriam exercere non possit, fauorabilem tamen, perficientem, & benefactiuam exercere potest, nullaque in hoc videtur esse repgnantia. Sicut enim Pontifex simul est Christi Vicarius, & homo peccator, ita nihil impedit, quominus sub his diuersis rationibus in se ipsum iurisdictionem exerceat, atque se ipso superior, & inferior. Neque hic maior est difficultas, quam vbi agitur de absolutione Sacramentali à peccatis, & quæritur quomodo hæc Summis Pontificibus concedi possit.

CAPVT III.

Principalius esse in Iubilæo, quod sit solutio quam quod sit absolutio.

Probatur primo. Illud est in aliqua re principalius, quod est prius, & à tali re importatur in recto. Sed in remissione pœnarum temporalium Iubilæi ope, ac beneficio facta, applicatio meritorum, & satisfactionum Christi per modum solutionis, prior est absolutione, & condonatione iuridica facta à Pontifice. Insuper Iubilæus in recto dici potest esse talis solutio, & in obliquo absolutio iuridica, quatenus nempe ista solutio, & compensatio extracta ex thesauro Ecclesiæ connotat, & includit potestatem clauium, quæ est plenissime in Summo Pontifice; ergo magis principaliter videtur pertinere ad naturam Iubilæi, aliarumque indulgentiarum, quod sit solutio, quam quod sit iuridica absolutio.

Secundo. illud est in aliquo principalius, quod est cum illo indispensabilius connexum, atque coniunctum: atqui cum natura Iubilæi videtur esse quid indispensabilius coniunctum, quod sit solutio, quam quod sit absolutio, ergo, &c.

Probatur minor; quia non potest Summus Pontifex quamuis plenissimam habeat facultatem relaxare extra Sacramentum pœnas temporales Deo debitas, quod idem est, ac concedere Iubilęum, absque applicatione satisfactionum Christi ex thesauro Ecclesiæ depromptarum, atque adeo, quin interueniat vera solutio, quod tamen potest absque vlla absolutione iuridica, vt patet in animabus Purgatorij, quibus Iubilęi, & Indulgentiæ ex dicendis infra, non iuridice, aut iudicialiter propriè, sed potius per modum suffragij, & subsidij, vel solutionis alicuius applicando, &

exibendo merita, & satisfactiones Christi, atque Sanctorum, conferuntur. Et si enim requiratur necessario aliqua authoritas clauium ad conferendas indulgentias defunctis, nimirum potestas aperiendi, & applicandi thesaurum, non tamen requiritur potestas, & iurisdictio in eos, quibus applicatur; nec re vera Ecclesia talem habet iurisdictionem in eos, qui è viuis excesserunt.

Vnde loquendo de viuis; licet certior, & vsitatior modus concedendi Iubilæum sit, quando solutioni ex thesauro desumptæ accedit absolutio, & condonatio iuridica ex parte clauium, quatenus tunc Pontifex exercet authoritatem duplicem, nempe & respectu thesauri, vt illum aperiat, ac distribuat, & comparatione quoque personarum, quibus eundem thesaurum communicat. non implicat tamen, quominus Summus Pontifex possit etiam fidelibus in hac vita concedere illum per solam applicationem satisfactionum. & meritorum Christi; si enim potest hoc erga animas in igne purgatorij detentas, quid ni etiam erga adhuc viuentes homines

Deinde. satisfactio suapte natura videtur esse applicabilis absq; vlla absolutione iuridica, vt patet in fidelibus, qui interdum alijs suas applicant satisfactiones, cum tamen nullam penitus in ipsos iurisdictionem, aut potestatem habeant: ideoque non est dubium quin Christus Dominus talem facultatem Summo Pontifici reliquerit circa dispensanda bona Ecclesiæ communia, quam priuatus circa propria distribuenda habet; adeo tamen vt in hoc casu procederet Pontifex per modum suffragij, & non per modum iurisdictionis.

Dices. istę satisfactiones, quæ interdum alijs communicantur, & applicantur, aut per proprium operantem, aut etiam per superiores ordinum, personis de sua religione benemeritis, non sunt indulgentiæ. ergo etiam à pari in illo casu, in quo Pontifex sine absolutione iuridica solummodo applicaret merita, & satisfactiones Christi, talis applicatio non esset dicenda indulgentia.

Respondetur ad hoc argumentum: concedendo antecedens, & negando consequentiam: instando manifeste in Indulgentijs pro mortuis, quæ sunt veræ indulgentiæ; & tamen conceduntur per modum solius compensationis absque vlla absolutione iuridica, aut iudiciaria proprie formaliter.

Satisfactiones ergo, quæ in modo obiectione posito alijs applicantur, si non sunt Indulgentiæ, non prouenit ex defectu absolutionis

tionis iuridicę, ſed quoniam vt D. Thom. in Supplemento q.26. art.1. docet, huiuſmodi communicatio ex communi theſauro Eccleſię non depromitur, ſed ex cumulo ſatisfactionum determinatę cuiuſdam perſonæ, & congregationis, neque inſuper fit ex ſatisfactionibus aliquibus pręteritis, quæ ſint iam ante in acceptatione diuina, tanquam theſaurus quidam repoſitæ, ſed tantum ex ſatisfactionibus futuris, vt recte explicat Sotus diſtinct. 21. q. 1. art.4. quæ enim opera iam ſunt peracta à fidelibus, ſi ea illis ad ſatisfaciendum per ſe neceſſaria non fuerunt, nec ab ipſis ſpecialiter alijs applicata, ſtatim tanquam bona à proprijs Dominis derelicta accedunt ad communem Eccleſiæ theſaurum, ex quo non niſi per eos, qui Eccleſię præſunt, quique dominium quoddam politicum, ſiue publicum in fideles habent; poſſunt extrahi. Vnde opera ſatisfactoria per aliquem particularem, aut etiam ordinum ſuperiorem fidelibus applicata ſe habent ſolum per modum deprecationis, non autem per modum Indulgentiæ, non defectu abſolutionis iuridicę, quæ ad indulgentiam indiſpenſabiliter non requiritur, ſed propter rationes iam allatas.



CONTROVERSIA VII.

De Iubilæo ex parte causæ efficientis.

CAPVT I.

Quibusnam competat authoritas concedendi Iubilæum Ecclesiasticum:



LOQVENDO de causa efficiente principali, certum est apud omnes talem facultatem competere soli Christo Domino, in quo est & potestas excellentiæ remittendi peccata, & dominium thesauri, per cuius applicationem, ac dispensationem fit in Iubilæo hæc plenissima remissio, vnde solum esse potest difficultas in præsenti, de causa instrumentali, seu ministeriali. Et si enim Christus Dominus sit ipse principalis author huius beneficij, quod est plenissime remittere per Iubilæorum concessionem, omnem penitus reatum pœnæ temporalis, noluit tamen immediate per se ipsum hoc munus exercere iuxta ordinariam legem, sed per homines, quibus potestatem ligandi, & soluendi contulit.

Asserimus ergo primo. Summum Pontificem hoc ipso, quo est legitime electus concedendis Iubilæis, tam iure Diuino, quam Canonico plenissimam habere potestatem. Ius enim Diuinum clarissime habetur D. Matth. 16. *Dabo tibi claues, & quodcumque solueris, &c.* Et Ioannis vltimo, *Petre pasce oues meas*. Vbi scilicet Christus singulariter alloquitur Diuum Petrum, & in eius persona quemlibet ipsius Successorem Romanum Pontificem. Quæ enim Petro ratione officij promittuntur, & competunt omnibus etiam eius Successoribus conueniunt. Dicitur ratione officij, quia quæ Petro conueniunt personaliter, vt patrare miracula, &c. suis Successoribus non conueniunt.

Ius vero Canonicum extat in Conc. Lateran. sub Innocent. III. cap. 62. & refertur cap. *cum ex eo* de pœnitentijs, & remissionibus vbi expresse declaratur plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis circa Indul-

Indulgentias conferendas residere in Summo Pontifice. Inde enim sequitur manifeste ipsum posse tempore, & loco dare indulgentias non solum plenas, sed etiam plenissimas, cuiusmodi sunt Iubilæi Ecclesiastici.

Tandem probatur ratione. quia ille potest in Ecclesia sacri Iubilæi indulgentias concedere, qui thesaurum Ecclesiæ plenissime dispensare potest. atqui Summus Pontifex Romanus, plenissimam habet, non quidem exhauriendi totum thesaurum, cum summus sit, & infinitus, sed illum dispensandi, prout fidelibus iudicauerit necessarium, totaliter, vel partialiter pœnam relaxando. ergo. Maior huius argumenti est certa; cum per Indulgentiæ Iubilaris concessionem nihil aliud intelligatur, quam plenissima thesauri Ecclesiastici distributio in ordine ad remittendas pœnas temporales. Minor igitur probatur.

Ille plenissime thesaurum Ecclesię distribuere potest, qui habet claues, & est custos illius, supremamque tenet in Ecclesia authoritatem. Siquidem talis dispensatio, thesaurique Ecclesiastici applicatio non tantum fit per modum solutionis, sed etiam absolutionis, saltem respectu fidelium viuorum. absolutio autem includit iurisdictionem, & plenissima absolutio, qualis est Iubilaris, plenissimam iurisdictionem, & authoritatem. Deinde etiamsi spectemus applicationem thesauri in genere solutionis, & compensationis, adhuc etiam requirit plenissimam clauium potestatem, ob eandem rationem, bona enim communia alicuius reipublicæ, si rectum ordinem dispensationis inspiciamus, ab eo distribuenda sunt, cui credita est suprema, & absoluta ipsius Reipublicæ gubernatio. Et in terris Summus Pontifex Romanus supremam habet, non solum respectu thesauri, vt illum aperiat, ac distribuat, potestatem, sed etiam respectu omnium fidelium, cum sit ipse primarius, & vniuersalis domus Dei rector, Oeconomus, atque gubernator. Ergo per Iubilæi Ecclesiastici concessionem plenissime potest communem Ecclesiæ thesaurum fidelibus indigentibus distribuere, ac dispensare. Cum Deus, inquit Clemens VI. in extrauagante, *Vnigenitus*, illum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cęli clauigerum, eiusque Successores suos in terris Vicarios commiserit fidelibus salubriter dispensandum, & proprijs, & rationalibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis.

Confirmatur hoc quoniam ad indulgentiam plenissimam, & vniuersalem,

uersalem, cuiusmodi est indulgenria sacri Iubilæi, tria pręcipue requiruntur. Primum vniuersalitas thesauri, quo stipendiantur milites Ecclesiæ, fideles Christi: secundum vniuersalitas Iurisdictionis. Tertium vniuersalitas causę, pro qua conceditur. ista autem tria in Summo Pontifice perfectissime reperiuntur, ergo potest vniuersalem indulgentiam conferre, qualis est indulgentia sacri Iubilęi.

Nec est quod in probatione huius conclusionis diutius immoremur, in qua conueniunt omnes Theologi. Solum est difficultas inter ipsos, an hoc priuilegium ita sit Summi Pontificis proprium, vt nulli alteri quam ipsi, præsertim ex iure diuino, de facto competat. Dico ex iure diuino, quod enim id ex commissione, aut delegatione Summi Pontificis, quis possit, non est dubium. Sit ergo caput secundum ad hoc examinandum.

CAPVT II.

An alius præter Summum Pontificem habeat diuino Iure potestatem instituendi Iubilæum.

MVlti Doctores, vt Almainus, Nauarrus de Iubil. Notab. 31 num.2. Sotus in 4. distinct. 21. quęst. 1. art.4. Cordub. q.12. de indulgentijs proposit.11. Philippus Gamacheus 3 p. disput. de Indulgentijs c.8. Andreas Duuallius tract. de Indulgent. art.9. & alij probabiliter existimant Concilium generale authoritate Pontificis congregatum, legatorumque eius præsentia decoratum, & munitum Indulgentias Plenarias atque adeo Iubilęum toti Ecclesiæ iure Diuino conferre posse. Quod etiam extendit Henriches lib.7. cap.31. §.3. ad Concilium Acephalum sine authoritate Papę tempore schismatis legitime congregatum.

Cardinalis Bellarminus ex alia parte lib.1 de Indulgent. cap.11. Suares 3.p tom.2. de Sacrament. disput.55. Sect.1. & alij contendunt potestatem concedendi Indulgentias plenarias, atque adeo instituendi Iubilæum, qui nihil est aliud quam plenissima quædam Indulgentia, Concilio generali iure diuino non competere, sed soli Pontifici, ita vt hoc sit proprium, ac speciale ipsius priuilegium.

Vt autem quid in hac re probabilius sentiendum sit breuiter aperia-

aperiamus; notandum eſt. Concilium generale dupliciter conſiderari poſſe, aut cum Summo Pontifice perſonaliter pręſidente, aut ſine illo. Priori modo certum eſt Concilium generale, ſaltem ratione Summi Pontificis, quem includit, Iubilæum inſtituere poſſe, nec enim illud habet ratione ſui, & quatenus corpus quoddam eſt, ſed quatenus caput habet, & virtute illius, quod ſicut ſeparatum, ita & corpori conciliariter vnitum ſemper eſt eiuſdem efficacię, vnde ſi ſeparatim à concilio poteſt Iubilæum inſtituere, id etiam poterit Concilio generali pręſentialiter coniunctum.

Conſiderandum eſt ergo Concilium ſine præſentia Summis Pontificis: quod duobus modis poteſt contingere, prior eſt, quando adſunt Legati nomine ipſius: alter eſt, quando nullo modo adeſt Pontifex, nec per ſe, nec per alium: quod ſolum poteſt accidere vacante Sede Apoſtolica, ſi Concilium futurum eſt legitimum, ac validum, ſuppono enim tanquam certum ex propria materia, viuente Pontifice nullum verum Concilium generale poſſe abſque eius authoritate, & Legatis congregari, ſed eſſet in tali caſu ſchiſmaticum conciliabulum.

Sumendo igitur Concilium primo modo hoc eſt quatenus vnitum Pontifici per Legatos, aſſerimus habere quidem poſſe facultatem inſtituendi Iubilæum ex conceſſione eius. Tamen hoc ſecluſo probabilius eſt ex ſe, & diuino iure illam non habere. Quod in primis inſinuarunt D. Thom. in 4. diſt. 20. q. 1. art 4. & alij Theologi ibidem dicentes, ſolum Pontificem poſſe indulgentias vniuerſales conferre ratione curæ vniuerſalis, vt ait Durandus quæſt. 5. & Paludan. quęſt. 4. art. 3. & Richardus art. 5. q. 3. & Bonauet. 2. q. art. 3. & Alenſi 4. p. q. 23. memb. 3. qui omnes nulla facta mentione Concilij generalis ſoli Pontifici hoc tribuunt. Gerſon vero tractatu de poteſtate Eccleſiaſtica conſider. 11. tom. 1. quæſtionem in terminis attingens, lectoris conſiderationi relinquit.

Probatur concluſio primo, ſi Concilium generale ſola legatorum Apoſtolicorum præſentia munitum poſſet iure diuino Iubilæum inſtituere, deberet habere talem facultatem à Chriſto Domino, non enim poteſt illam ex ſe habere, niſi Chriſtus eam donauerit, cum ſit ſupernaturalis; nullibi autem Chriſtus illam ei contulit, ſed ſoli Petro, eiuſque legitimis Succeſſoribus Matth 16. *Tibi dabo claues regni Cælorum*. & Ioan. 21. *Paſce oues meas*. Confirmatur. Si eſſet aliqua ratio, cur Concilium generale authoritate Pontificis congregatum poſſet iure diuino plenariam Iubilæi Indulgentiam concedere,

cedere, maximè quia illud vniuersalem Ecclesiam repræsentat, imo est ipsa Ecclesia vniuersalis, de qua dicitur Matth 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*, & statim subiungitur eadem promissio, *Quæcumque ligaueritis, &c.* Sed ista ratio non concludit. cum ex Diuo Chrisostomo, ibi nomine, *Ecclesiæ*, intelligantur Pastores Ecclesię, neque enim verbum, quod præcedit, *dic Ecclesiæ*, referri potest ad Concilium generale, quod non est semper congregatũ, nec etiã expedit, vt peccata correctione digna toti Ecclesiæ conciliariter congregatę semper denuntientur. Quod autẽ ibi promissa dicitur potestas iurisdictionis per illa verba, *Quæcumque ligaueritis, &c.* non obstat; nam propria promissio singulariter facta est D. Petro, & illi etiam fuit specialiter à Christo data, eiusq; Successoribus, per quos communicaretur alijs.

Probatur secundo. quia Concilium viuente Pontifice legitime congregatum, quatenus quoddam corpus mysticum est vniuersalem Ecclesiam repræsentans nullum aliud genus Iurisdictionis immediate à Christo Domino collatum habet. ergo neque etiam illi dedit hanc iurisdictionem necessariam ad instituendum Iubilæum: Consequentia videtur esse certa à paritate rationis, imo a fortiori, cum institutio Iubilæi non sit actus Iurisdictionis ex necessarijs ad regimen Ecclesiæ.

Antecedens ergo, in quo est difficultas, probatur primo ex hoc, quod regimen Ecclesię semper fuit Monarchicum, & pendẽs ab vno Capite, idque non ex hominum institutione, quæ mutari potest, sed Christi, quæ immutabilis est. Secundo, quia non expedit, vt ad vnum, & eundem iurisdictionis actum duæ sint simul in Ecclesia potestates vniuersales; quia vel essent sine vlla subordinatione inter se, & hoc esset inordinatum: vel vna dependeret ab altera, & tunc ea, quæ dependet, originabitur ab alia, & non erit immediate à Christo.

Nec obstat, quod plenaria Indulgentia concessa fuerit aliquando à Concilio Basileensi, vt refert Panormitanus sermone, quem in hoc concilio habuit. Primo enim dici potest illud factum fuisse ex generali commissione Summi Pontificis, cuius legati ibi aderant, & sub cuius obedientia sess. 24. ad huc concilium illud pro cedebat. Quia autem postea sess. vltima idem Concilium deposito Eugenio IV. iterum indulgentiam concessit, talisque concessio non potest refundi in authoritatem Summi Pontificis. Respondetur talem concessionem fuisse illegitimam. Nec est quod vel minime

moueat

moueat cordatum virum huiuſmodi conciliabuli authoritas, quod tanquam Schiſmaticum, & ſeditioſum reprobatur, ſeſs. 2. Concilij Lateranenſis ſub Leone X. Quam cenſuram ſaltem pro tempore Eugenij reuocationem ſubſequente vim habere manifeſtius eſt, quam vt probari debeat, ſi quidem viuente Summo Pontifice conditio omnium maximè eſſentialis eſt ad rationem Concilij generalis, & Oecumenici, vt ipſe per ſe, vel per Legatos præſideat Pontifex, alias enim futura ſunt acephala, potiuſque latrocinia, quam Concilia, cum præcipuam, & nobiliorem, cæteriſque alijs præferendam Eccleſiæ partem minimè tunc repræſentent.

Quod huc vſque de Concilio generali vnito Capiti per Legatos aſſeruimus, idem penitus de Concilio per mortem Summi Pontificis acephalo dicimus; & ſi enim poſſet alicui videri maiorem tunc temporis eſſe rationem, ac neceſſitatem cur Eccleſia carente capite, Concilium generale tunc legitimè congregatum poſſet plenariam indulgentiam concedere. Nihilominus tamen, quia huiuſmodi concilium ita refert Eccleſiam Vniuerſalem, vt illam ſine capite repræſentet, non poteſt Indulgentiam aliquam plenariam concedere, aut Iubilæum inſtituere, etenim ſi Concilium legitimum viuente Pontifice illam facultatem non habet immediatè à Chriſto, qua ratione illam habebit mortuo Pontifice. Quod ſic poteſt oſtendi.

Si enim eſſet aliqua ratio cur Concilium generale tali tunc eſſet præditum poteſtate, maxime quia id neceſſitas bonumque regimen Eccleſiæ videtur exigere. Sed iſta ratio nulla eſt penitus. Primo, quia ſola neceſsitas non dat poteſtatem, niſi probetur ab eo conceſſa, qui eſt principalis Dominus, quod tamen hic oſtendi non poteſt, cum ex dictis ſupra Chriſtus Dominus nunquam dederit hanc poteſtatem Eccleſiæ, ſed ſoli Petro, eiuſque legitimis ſucceſſoribus, pœnes quos omnis poteſtas iuriſdictionis ordinarię, & perpetuo duraturæ in Eccleſia reſidet. Secundo, quia conceſſio Indulgentię plenariæ, aut Iubilęi inſtitutio non eſt actus iuriſdictionis ex neceſſarijs ad Regimen Eccleſię pręſertim pro breui tempore, quo durare ſolet in Eccleſia carentia Capitis.

Vnde licet Concilium congregatum eo tempore, quo Eccleſia caret Pontifice, tunc quidem habeat eam poteſtatem, quæ præciſe neceſſaria eſt ad regimen Eccleſię pro eo tempore, donec Electio Pontificis fiat; quæ iuriſdictio ex diuino iure illi competit, non quidem per ſpecialem aliquam conceſsionem, ſed veluti ex

O natu-

natura rei, & per necessariam consequentiam, supposito semel tali statu Ecclesiæ; cum in omni republica bene instituta necessarium sit, vt deficiente capite, & vrgente necessitate, per primarios principes, vel eorum congregationem gubernetur. quia tamen ad Ecclesiæ regimen non est necessaria huiusmodi facultas concedendi Iubilęum, vt per se patet, deficiente ad tempus Summo Pontifice, non deuoluitur ad Concilium generale, sed manet veluti suspensa, seu in solo Christo, donec Vicarius eius eligatur.

CAPVT III.

An alius à Summo Pontifice possit aperire portam Sanctam, & quo iure.

PRimo non loquimur in pręsenti de referatione portę Sanctę, veluti materialiter sumpta, & secundum quod est Cęremonia quędam accidentalis Iubilęi, quę interdum mutari, & prętermitti potest, sic enim certum est, etiam Sede vacante ritè suppleri posse per alium, qui non sit Papa, sed est sermo de tali referatione formaliter sumpta, quatenus nimirum est signum quoddam sensibile, & extrinsecum plenissimę dispensationis, ac distributionis satisfactionum Christi ex communi Ecclesię thesauro depromptarum ad remissionem pęnarum temporalium, quibus fideles sunt obnoxij. Vnde eadem penitus ratione, qua duobus superioribus capitibus probatum fuit solum Summum Pontificem posse iure Diuino Iubilęum instituere, nunc etiam dicendum est ipsum solum posse portam Sanctam hoc posteriori modo aperire, difficultas ergo huius capitis procedet, vtrum Sede vacante ob Summi Pontificis mortem liceat alicui verbi gratia Decano Cardinalium, non iure aliquo Diuino, sed ordinario iure humano hanc functionem apertionis portę Sanctæ peragere.

Qua in re dico primo. Si Iubilæus est iam à Pontifice defuncto ante mortem indictus, ac denunciatus, instante die Natiuitatis Domini posset Eminentissimus Cardinalis Decanus loco Summi Pontificis huiusmodi portam Sanctam D. Petri aperire; & similiter tres alij de sacro Cardinalium Collegio, reliquas tres aliarum Ecclesiarum. Summus enim Pontifex indicendo Iubilæum videtur

taci-

tacite hanc licentiam concedere, ne si enunciati Iubilæi solita pompa, preces consuetæ, solemnisque, ac vsitata forma, & portarum patefactio differretur, vel omitteretur, fidelium deuotio inde minueretur, dum vulgares homines semel omissa tali solemnitate facile sibi persuadere possent, Iubilæi indulgentiam fore suspensam, & impeditam.

Maior difficultas est: si Iubilæus non fuerit ante mortem Pontificis indictus. Posset enim aliquis existimare, tunc non esse licitum alteri à Papa Iubilæum celebrare. Nihilominus oppositum videtur esse verius. Cum enim plenissima sancti Iubilæi Indulgentia à proximè defuncti Pontificis prędecessoribus ita videatur enuntiata, & promulgata, vt non solum pro eo anno in quo edicitur, sed etiam successiuè statis illis temporibus scilicet vigesimo quinto quoque anno concedatur, vt ex Bullis Summorum Pontificum, & præsertim Pauli Secundi, Sixti Quarti, Alexandri Sexti, Clementis Septimi, Iulij Tertij, & Gregorij Decimitertij non obscurè colligitur. Videtur iam habere in Ecclesia Dei rationem Indulgentiæ perpetuæ pro illo determinato tempore. Vnde etiam non indicto per Pontificem ante mortem Iubilæo, rectè possunt, Sede vacante ab Eminentissimis Cardinalibus, vel de eorum commissione, si Conclaue iam ingressi fuerint à quocumq; alio Prælato, Archiepiscopo, vel Episcopo suppleri functiones illarum actionum, videlicet reserationis Portæ sanctæ, & aliarum quæ in principio anni Iubilęi adhiberi solent. Imo Rutilius Bensonius lib.4. de Iubil. c.14. Docet posse quoq; Cardinalem Decanum cęteris assentientibus, litteras & epistolas publicas ad vniuersos fideles dirigere, illis significando inchoationem, & principium sancti Iubilæi à superioribus Pontificibus concessi instare, eosque ad sanctam peregrinationem inuitare.

Notauerim tamen hic Eminentissimos Cardinales tali potestate non fuisse vsos circa annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum. Sede enim tunc temporis per mortem Pauli III. Vacante, prius processerunt ad electionem Iulij Tertij, qui in die sancti Matthiæ Apostoli circa tempus, quo hora tertia decantatur, Portam sanctam aperuit, quamuis ipse in Constitutione, quæ incipit, *Si Pastores*, primo Pontificatus sui anno edita, dixerit, annum Iubilæi tunc inchoasse, & incepisse à Vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi proximè præterita.

CAPVT IV.

Quod facultas concedendi Iubilæum in Summo Pontifice Pertineat ad potestatem Iurisdictionis.

SVmmum Pontificem supremum Ecclesiæ caput duplici clauium potestate à Christo Domino exornatum fuisse aperte testantur verba illa Matth. 16. *Dabo tibi claues*. Vna dicitur characteris, seu ordinis, talis est potestas consecrandi Eucharistiam, ordinandi Ministros, & omnia Sacramenta; atque sacramentalia conferendi, & administrandi; alia vocatur Iurisdictionis, seu authoritatis iudicialis, quæ maxime proprie clauis dicitur, idemque est, ac Dominium: quod enim est Dominium in temporalibus, illud in spiritualibus est iurisdictio: sicut enim quis per Dominium habet ius vtendi rebus in suum, & aliorum commodum: ita per iurisdictionem habet ius regendi homines ad illorum, & Ecclesiæ vtilitatem.

Ad hanc ergo iurisdictionis clauē, seu potestatem asserimus pertinere facultatem concedendi Iubilæum; ita vt Summus Pontifex hoc ipso, quo est à Cardinalibus legitime electus, quamuis non sit ordinatus, possit optime Iubilæum, & alias quascumque indulgentias per totam Ecclesiam conferre. Satis est enim, si ipse Pontifex charactere baptismali sit insignitus: siquidem potestas iurisdictionis in hoc charactere, & non in charactere ordinis fundatur, vt docent communiter Theologi in 3. part. de Sacramento Pœnitentiæ; videturque manifeste coligi ex eo, quod secundum praxim Ecclesiæ, Cardinales non ordinati, Episcopi à summo Pontifice instituti, & confirmati, antequam fuerint in sacris, vere habent clauem; seu potestatem aliquam Iurisdictionis.

Quia autem potestas iurisdictionis iterum est duplex, altera voluntaria, altera coercitiua. Prior est illa, quæ à partium mera voluntate dependens iudiciariam cognitionem non requirit, nec in inuitum redditur; posterior vero etiam in renitentem exercetur.


Posset aliquis inquirere. an concessio Iubilæi sit actus Iurisdictionis coercitiuæ, seu coactiuæ, an vero voluntariæ. ex illo enim Capite. quo ex dicendis controuersia sequenti ad valorem indulgentiæ iubilaris videtur requiri cognitio causę, posset aliquis suspicari talem cōcessionem esse actum iurisdictionis coercitiuæ. Sicut

cut etiam ex hoc, quòd Sacerdotes interdum suis Pœnitentibus iniungant, quod Iubilæum, aut Indulgentias lucrifaciant, seu potius, vt opus in Indulgentijs præscriptum adimpleant.

Nihilominus dicendum est. Iubilæum esse merum actum iurisdictionis voluntariæ: illa namque iurisdictio in iure voluntaria appellatur, quæ tantum in volentes, & consentientes exercetur, vt statim adnotauimus, & habetur lege 2.ff. de officio Proconsulis. atqui talis est Iubilæi concessio, non enim prodest nisi volentibus, neque confertur, nisi sub conditione operis cuiusdam boni voluntarie adimplendi; igitur non ad aliam iurisdictionem, quam voluntariam proprie loquendo pertinere potest.

Vnde ad primam rationem dubitandi respondetur. ad valorem Iubilæi requiri quidem cognitionem causæ, quia tamen huiusmodi cognitio fit. absque personarum examine in particulari, sed tantum causæ, propter quam Iubilæus conceditur, dignitas, & æquitas expenditur. ideo non exercetur ibi iurisdictio coactiua, aut coercitiua, sed solum voluntaria.

Similiter ad secundam dico. Posse Sacerdotem in confessione iniungere pro pœnitentia salutari Iubilæi, aut alterius Indulgentiæ consecutionem, sed tunc obligatio ad talem consecutionem non nascitur ex vi Indulgentiæ, aut Iubilæi sed ex iure, quod Sacerdos ipse ad pœnitentiam iniungendam habet; quam cum tunc non iniungat, in eius compensationem, præscriptum opus indulgentiarum imponit; eoque modo pœnitens adimplendo hanc pœnitentiam, & præcepto sui Confessoris satisfacit, & satisfaciendo Iubilæi fructum consequitur.



CON-

CONTROVERSIA VIII.

De Iubilæo ex parte causæ finalis.

CAPVT I.

Quo ad concedendum Iubilæum necessaria sit aliqua causa finalis, quæ moueat summum Pontificem illum concedentem.



THEOLOGI ad 1. 2. sancti Thomæ duplicem distinguunt finem: intrinsecum, seu operis; & extrinsecum, seu operantis: intrinsecus finis Iubilæi dici potest ipsemet effectus proximus eius, sicut in omni actione immediatus eius terminus est finis intrinsecus illius, sicque plenissima pœnæ temporalis remissio, seu relaxatio est intrinsecus finis Iubilæi, cum ad illam tanquam ad proprium effectum immediate ordinetur. Et de hoc sine agimus in præsenti, de quo non potest esse difficultas, quin ad Iubilæi valorem indispensabiliter requiratur; sed tantum de extrinseco, qui moueat concedentem ad Iubilæi indulgentiam præstandam.

Paludanus in 4. dist. 20. q. 4. art. 1. refert quorundam opinionem fuisse, vt indulgentia sit valida, sufficere voluntatem concedentis, quamuis peccet is quidem, si absque vlla alia causa pia talem indulgentiam conferat.

Sed contrarium affirmat Diuus Thomas in Supplemento q. 25. art. 2. & omnes Doctores tam Theologi, quam Canonistæ. Itaque legitima, ac pia causa, ex qua scilicet fiat, vt distributio communis Ecclesiæ thesauri, & remissio pœnę per illam, referatur, tanquam in finem, ad aliquam vtilitatem Ecclesiæ, & incrementum gloriæ diuinæ, ita est necessaria ad Iubilæum, vt sine illa concessus, non solum sit illicitè, sed etiam illegitimè, ac nulliter concessus.

Probatur primo. quoniam ita passim indicant ipsi Pontifices, pręsertim Innocentius Tertius, in cap. *Cum ex eo*; Clemens Sextus

in

in extrauaganti, *Vnigenitus*, & Martinus Quintus in fine Concilij Constantiensis, & Leo X. in condamnatione Lutheri.

Præcipuum huius sententiæ fundamentum desumitur ex eo. Quod Summus Pontifex non est Dominus, sed solum dispensator thesauri Ecclesiastici, iuxta illud 1. D. Petri 4. *Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. D. Pauli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt dispensatores mysteriorum Dei*. Vnde sic argui potest.

Facultas Ministri, & dispensatoris non est absoluta, sed conditionata, & dependens ex voluntate Domini; ita vt irritum, ac inane censeri debeat, si quid egerit contra eius intentionem, & voluntatem. Nam facultas dispensatoris ex ratione sua non amplius extenditur, vt patet infinitis exemplis: V.g. in humanis distributio ærarij publici facta ab Oeconomo: siue iusta causa à Principe, vel à Republica rata non habetur, sed potius irrita, & nulla declaratur. Similiter, vbi concessa est alicui executio testamenti, vel solutio debitorum alienorum, vel distributio pecuniæ in pauperes specialiter designatos, non potest tunc Commissarius, seu delegatus aliquid agere contra mentem Testatoris, vel eius, qui talem eleemosynam præscripserat alioqui non solum male faciet, sed etiam nihil faciet, & tam ipse, quam illi, qui receperunt Legatum, aut eleemosynam, ad restitutionem tenebuntur per se loquendo. Atqui Summus Pontifex thesauri Christi, sicut & aliorum mysteriorum Dei solum dispensator existit, nec habet potestatem, vt talis, ad dexstructionem, sed ad ędificationem Ecclesię 2. Corinth. 3. ergo non tantum illicitè, sed etiam inualidè illum distribuet, nisi id faciat secundum intentionem Christi.

Subsumo modo, sed nisi suppetat pia ac rationabilis causa concedendi Iubilæum, non eum concedit Pontifex secundum intentionem Christi, imo contra. ergo tunc non valebit. totum argumentum primum videtur esse clarum.

Sublumptum igitur, in quo est difficultas, probatur.

Nam etiamsi aliqua actio valida esse queat contra intentionem Christi, vbi aliquid omittitur quod est solum accidentale, vt patet in multis, quæ etsi illicitè, validè tamen fiunt, non tamen si essentiale, ac simpliciter necessarium fuerit. atqui iustam, & rationabilem causam in concessione Iubilęi esse conditionem omnino necessariam, ad valorem, & substantiam illius, probatur primo ex illo fine generali, quod potestas hęc data est in ædificationem,

non

non in destructionem, ad quem finem necessarium est, vt Iubilæus non concedatur sine rationabili causa; alias potius esset thesauri Ecclesiastici dissipatio, quam dispensatio, eneruareturque omnino disciplina Ecclesiastica, si malum illud pœnæ temporalis, quod licet respectu peccatoris incommodum sit, tamen respectu boni communis est magnum, & necessarium bonum, gratis, & sine causá tolleretur per alienum subsidium. Tertio quia quoties potestas est ad dispensandum, seu immutandum aliquo modo ius ab ipsomet superiore statutum, videtur esse de substantia, & valore actus, vt non fiat sine iusta, & rationabili causa, vt constat ex communi Theologorum consensu, qui hac ratione docent dispensationem in re pertinente ad ius diuinum, vt in voto, in iuramento, in matrimonio rato esse nullam, si fiat à Pontifice sine iusta, & rationabili causa. Et ratio est, quia non potest irrationabilis voluntas inferioris irritare rationabilem voluntatem Superioris; neque est verisimile superiorem tale concessisse inferiori facultatem. Cum ergo pœna temporalis remanens post culpę remissionem iure Diuino, simul etiam, & naturali debita sit, & ad forum Dei pertineat, non potest Pontifex Iubilæi beneficio sine rationabili causa eam condonare, & relaxare.

Vnde sicuti se habet in Sacramentis remissio culpæ, & pœnæ æternæ; ita proportionabiliter possumus concipere, quod se habeat extra Sacramentum remissio pœnæ temporalis mediante Iubilæo. Sed merita, & satisfactiones Christi ita in Sacramentis quantumuis ex vi suæ institutionis, & ex opere operato suum sortiantur effectum, ita inquam applicantur, vt tamen semper sit necessaria aliqua ex parte suscipientium dispositio, qualis est attritio, vel contritio in pęnitentia, & secundum opinionem Caietani, actualis deuotio in Eucharistia, & in omnibus alijs debet saltem tolli obex gratiæ. Ergo etiam a pari Indulgentia iubilaris, licet ex opere operato agat, ex vi nempe meritorum, & satisfactionum Christi, debet tamen ex parte personæ eam consequentis interuenire causa aliqua, quę sit veluti dispositiua, & applicatiua ipsarum satisfactionum; hæc autem est opus in concessione Pontificis præscriptum, nec non finis, in quem concessio illa Iubilæi refertur, vt exaltatio Sanctæ Matris Ecclesiæ, extirpatio Hæreseon, concordia Principum Christianorum, & cætera id genus. Nam sicut in Iudicio pęnitentiæ causa proportionata remissionis peccatorum est talis dispositio pænitentis: ita in concessione Iubilæi

causa

causa proportionata est aliquod aliud bonum pertinens ad pietatem, & honorem Dei. Etsi enim in hoc foro non attendatur ratio iustitiæ particularis, quæ consideratur per proportionem ad particularem dispositionem pœnitentis, non excluditur tamen ratio iustitiæ communis, seu legalis, quæ petit, vt benigna illa pœnæ temporalis remissio mediante Iubilęo, non fiat sine iudicio, & consideratione communis boni, atque adeo sine iusta aliqua, & rationabili causa.

Neque obstat valor satisfactionum Christi Domini, non quia ex se non sufficiat ad omnem pœnam tollendam: sed quia licet sit infinitus, nihilominus petit rationabilem applicationem, neque Christus Dominus meruit, aut voluit, vt diuitiæ suæ indiscreto modo dispensarentur; seu potius dissiparentur.

Verum posito quod deficiente iusta, ac rationabili causa, nulla sit penitus Iubilaris indulgentiæ concessio, in ordine ad relaxandam pœnam temporalem in foro Dei debitam; inquiret aliquis num saltem valeat ad aliquos alios effectus.

Respondeo. primo valere ad tollendam obligationem pœnitentię a Confessario iniunctæ, omniumque aliarum pœnarum Canonicarum; cum enim huiusmodi pœnæ canonicę, necnon etiam pœnitentia à Sacerdote iniuncta, vltra id, quod requiritur ad integrum complementum Sacramenti pœnitentiæ, non sit iuris diuini, sed tantum positiui, & Ecclesiastici, quod dispositioni Summi Pontificis, tanquam supra ius omne positiuum constituti, perfectè subijcitur, poterit sine vlla causa de pœnis Canonicis, & de reliquo eiusmodi pœnitentiæ iniunctæ Pontifex dispensare, eiusq; dispensatio erit valida, suumque semper sortietur effectum, quamuis contingat eam esse indiscretam, & eum imprudenter hac in parte se gerere.

Dixi Pontificem tanquam supremum iuris positiui superiorem posse dispensare de pœnitentijs à Sacerdote iniũctis, vltra id, quod requiritur ad integrum complementum Sacramenti pœnitentiæ: nam loquendo de illis secundum, quod ad tale complementum concurrunt, existimo pœnitentem non liberari ab obligatione implendi pœnitentiam impositam; primo. quia ex inferius dicendis controuersia cap. per quamcumque indulgentiam, etiam legitimam probabilius puto non remitti pœnas, & satisfactiones Sacramentales. Secundo quia in sententia illorum, qui oppositum tenent, Indulgentia non tollit hanc obligationem adimplendi pęniten-

nitentiam Sacramentalem reuocando præceptum Confessoris. sed solum subtrahendo materiam eius. at per indulgentiam inualidam non tollitur materia huius pręcepti, siquidem non tollitur debitum satisfaciendi. ergo nec præceptum illud tollitur in re ipsa, dico in re ipsa, quia in sententia ista probabili, fieri potest, vt obligatio cesset in conscientia pœnitentis, seu potius, vt ipse excusetur, quia illi non constat de nullitate indulgentiæ, sed potius bona fide præsumit illam esse validam.

Similiter dico secundo. Semper valere concessionem priuilegiorum, quæ interdum solent adiungi Iubilæo, etiamsi absque iusta causa concedatur, vt quod quis possit sibi eligere confessarium, quem voluerit approbatum tamen ab ordinario, absolui a casibus reseruatis, liberari a votis, & similibus, quæ ex mera iuris positiui dispositione dependent, cuius est superior Summus Pontifex, quod est verum, siue talia priuilegia cum Iubileo concedantur mere concomitanter, seu accumulatiuè; siue concedantur propter illum, & in ordine ad illum, vt homo scilicet facilius se disponat ad illum consequendum. quia licet intentio Pontificis sit re vera vnū concedere in ordine ad aliud, non tamen vult, vt valor indulgentiæ sit conditio necessaria, sed absolutè videtur velle vtrumque, & in vtroque operari quantum potest, quamuis ad vnum moueatur ex intentione alterius; quia vero plus valet circa dispositionem, quam circa ipsam iubilæi concessionem, ideo fieri potest, vt vna sit valida sine alia. atque adeo sequitur absolutionem a reseruatis, vel dispensationem in votis factam ex vi talium priuilegiorum esse validam, concurrentibus tamen alijs necessarijs, vt v.g. quod absolutio a reseruatis fiat, cum debita dispositione, quamuis si fieret sine illa, cessaret adhuc reseruatio, quæ pręcise pendet ex iure humano, seu ex voluntate Pontificis, quod dispensatio in voto fiat cum legitima causa. Nam in hoc sensu datur talis facultas, neque aliud intendit, nec potest intendere Summus Pontifex. quia hæc iam attingunt ius diuinum. potest enim Papa suo arbitrio, sine alia causa concedere valide alicui facultatem dispensandi vota, non tamen potest ei dare facultatem dispensandi illa sine iusta causa, cum neque hoc modo valeat ipse Pontifex illa soluere.

CAPVT

CAPVT II.

Quomodo ad Iubilæi Ecclesiastici valorem requiratur causa finalis extrinseca non solum iusta, & pia, sed etiam proportionata.

IN præsenti capite aliquid vt certum supponitur, aliud in dubium vocatur. tanquam certum suppono, actum illum, quo pia causa continetur in Iubilęo concedendo, posse generatim esse quemcumque, ex quo aliqua vtilitas Ecclesię, & gloria Diuina redundet, siue ea quidem proueniat ex ipsa ratione actus per se, siue ob respectum aliquem, quem actus habet ad aliquid aliud, vt ad deuotionem. seu reuerentiam erga Ecclesiam, vel erga res sacras, quæ eiusmodi aliquo actu significetur, sicut quando Summus Pontifex in festo Paschæ dat indulgentiam plenariam ijs, qui stant ad limina sanctorum Apostolorum, vbi non attenditur sola præsentia corporalis, quasi sit tota ratio huiusmodi indulgentię, sed præsertim spiritalis præsentia, si nimirum deuotę affuerint, & quatenus in præsentia illa corporali est quædam fidei professio circa supremam authoritatem Apostolicæ Sedis, quę quidem est caput, & metropolis aliarum omnium Ecclesiarum.

Quamobrem nihil interest, vtrum eiusmodi actus sit opus aliquod externum, vt ieiunium, eleemosyna, peregrinatio, & cętera id genus. Vel interior, & spiritualis, vt contemplatio, oratio, &c. neque vtrum fiat ab illo ipso. cui conceditur Iubilæus, vel ab aliquo alio pro illo, vt cum per modum suffragij applicatur defunctis ob causam piam, quæ sit adhibenda à viuis. Neque vtrum actus sit futurus, qui scilicet exigatur tunc, cum conceditur Iubilæus, vt si concederetur Sacerdotibus, qui post sacrificium Missæ deuote celebratum recitarent orationem Dominicam, aut aliquid aliud huiusmodi pro parte totius Ecclesiæ: tunc non haberetur solum ratio iniuncti illius operis futuri, vtpote Dominicæ orationis, sed operis præteriti, nempe augustissimi sacrificij, quo nihil gratius, nihil excellentius Deo offerri potest. Neque vtrum sit præteritus, vt cum datur Iubilaris indulgentia morientibus propter bona opera, quæ vel ipsi, vel alij fecerunt, etiamsi illi morientes nihil tunc faciant.

Item communiter asserunt Doctores non interesse, vtrum actus

ille sit alioqui debitus ex præcepto, vel non. quamuis Syluester oppositum teneat in Summa verbo Indulgentia. Ratio autem horum omnium, quæ hic tanquam certa ex communiori sententia supposuimus, est quia omnibus his modis intelligitur concedi Iubilæus ob causam aliquam, quę cedat in vtilitatem Ecclesię, & gloriam Dei; quod sufficit, vt secundum intentionem Christi valide, ac legitime dispensetur Ecclesiasticus thesaurus.

Quod ergo in dubium vocatur, & in quo totũ difficultatis pondus versatur est, quantam esse oporteat eiusmodi causam piam: vtrum scilicet debeat esse, vel ęqualis, vel proportionata Indulgentiæ iubilari: ita vt secundum ęqualitatem, vel proportionem, tanta sit complacentia Dei in eiusmodi causa, quanta est displicentia illa peccati, quę redimeretur per pœnam eam, quę in Iubilęo remittitur. an vero sufficiat quęlibet causa pia, quantulacunque sit?

Circa quod quattuor diuersas reperio sentẽtias. Prima tribuitur Raymũdo, & Alberto Magno existimantibus piã causam solã non esse semper sufficientẽ ad totum valorẽ Iubilęi, posse tamen suppleri ex deuotione lucrantis illũ. quod duobus modis potest intelligi. primo ita, vt ex qualibet personali deuotione, aut fide, seu gratia lucrantis Iubilęum, augeatur effectus eius, etiamsi alioqui causa non sit per se sufficiens. Et in hoc presertim sensu est falsa hęc opinio, cum deuotio recipientis non sit causa indulgentię, nec ratio propter quam concreditur, imo neque dispositio requisita ad effectum eius, nisi solum quatenus necessaria esse potest ad auferendum aliquem obicem. alio vero modo potest intelligi hęc opinio de fide, vel deuotione, quę redundet in opus, propter quod Iubilęus conceditur, reddatque illud maioris valoris moralis in ordine ad Deum, & in hoc sensu Suares 3.part. de Pœnit. disp. 54. sect. 3. existimat illam opinionem valde probabilem, nihilque in re differre ab illa sententia, quę requirit proportionem inter Indulgentiam, & causam. quatenus, inquit, si cum causa per se sumpta, vel cum solo opere secundum substantiam considerato non sit proportionata ratio indulgentię, fieri potest, vt ex fide, & deuotione operantis quatenus redundant in maiorem valorem operis, crescat etiam proportio talis causę, atque adeo etiam effectus Indulgentię, tantumque esse posse augmentum hoc in huiusmodi opere, vt reddat causam omnino proportionatam, & consequenter sufficiat ad totum effectum Indulgentię consequendum.

Sic

Sic cap. *Antiquorum*. Bonifacius VIII indulgentiam plenariam concedens ita loquitur. *Vnusquisque autem plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, quo Basilicas ipsas amplius, & deuotius frequentabit.*

Secunda opinio est integrum indulgentiæ Iubilæi valorem necessarium esse, vt opus iniunctum pro indulgentia, saltem vt relatum ad causam indulgentiæ, sit condignæ satisfactionis, aut meriti ad effectum indulgentiæ. Sed hanc opinionem merito reprehendit D. Thomas hoc sensu: Si quidem in concessione indulgentiæ, opus iniunctum non est veluti pretium, per quod soluitur pœna, quæ remittitur; & ideo non est necessarium, vt sit condignum, vel ex deuotione operantis, vel ex relatione ad causam, vel ex alijs circumstantijs occurrentibus; sed pretium illud sunt infinitæ Christi, & Sanctorum satisfactiones in thesauro Ecclesiæ repositæ, ex quibus sumenda est æqualitas, & proportio solutionis, quamuis non sit condignitas, & proportio in opere lucrantis indulgentiam, alioqui nihil conferrent indulgentiæ, atque ita fraus quædam tribueretur Ecclesiæ illas concedenti.

Tertia opinio est debere causam piam esse æquiualentem ei remissioni, quæ per Iubilæum promittitur, non quidem absolute, ita vt illa commensuratio consistat in aliqua propria quantitate, vel æqualitate in ratione meriti, & premij, vel satisfactionis, & remissionis, vt dicebat secunda sententia, sed in sola quadam prudenti æstimatione morali illius proportionis, quæ seruari debet inter medium, & finem, itaut illa causa censeatur adæquata indulgentiæ iubilari, ad quam obtinendam hic, & nunc pensatis omnibus circumstantijs concessio talis Indulgentiæ prudenter existimatur medium proportionatum, & conueniens, quæ etiam proportio, seu conuenientia secundum authores istius sententiæ non est semper sumenda ex re ipsa, sed prout cadit sub prudentem electionem dispensantis. quæ sententia est valde probabilis, fundaturque in eo maxime, quod iuxta intentionem Christi ex dictis superiori capite, collatio indulgentiæ sine pia causa non valet, ergo collatio tantæ indulgentię sine tanta causa non valebit ex eadem intentione Christi volentis, vt neque indulgentia absolute, neque tanta indulgentia concedatur nisi ex causa rationabili, atque adeo proportionata, & æquiualenti, cui tamen argumento facile respondent authores quartæ sententiæ statim afferendæ concedendo antecedens, & negando consequentiam, nam causa rationabilis huius, vel illius indulgen-

dulgen-

dulgentiæ dupliciter potest in proposito intelligi; vno modo quæ sufficiat, vt secundum intentionem Christi vere quidem detur indulgentia. Et talis causa rationabilis indispensabiliter requiritur; sed tamen quælibet causa pia est rationabilis hoc modo, id est ad validitatem indulgentiæ concessæ, vt statim probabimus. Altero modo, quæ etiam sufficiat, vt secundum intentionem Christi non modo verè, & validè, sed etiam licitè, discrete, & sine culpa concedentis indulgentia dispensetur; vtrumque enim cadit in intentionem Christi.

Causa autem rationalis hoc posteriori modo non requiritur, vt indulgentia quidem valeat, ac eiusmodi tantum causam rationalem deesse probat argumentum factum, & omnia alia, quæ fieri possunt, cum indiscretè dantur indulgentiæ, non secundum proportionem causæ, itaque plus requiritur ad validam simul, & licitã indulgentiæ concessionem, quam ad validam solum, & hoc rationabiliter vt contingit in multis alijs, possetque thesaurus aliquis temporalis ita institui, vt dispensatio eius in pauperes, etiam sine causa proportionata esset valida quamuis indiscreta.

Ratio autem fundamentalis, cur crescente Indulgentia, vel quãto maior est indulgentia, tanto maior, vel grauior causa esse non debet; cum tamen ad indulgentiam simpliciter sit necessaria iusta, & rationabilis causa? & videtur dicendũ, quod sicuti se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; Ratio, inquam, fundamentalis huius est, quia illa causa iusta, & rationabilis, cuiusmodi est omnis causa pia ad validitatem indulgentiæ, ita est causa propria concessionis indulgentiæ, atque adeo applicationis thesauri Ecclesiastici, vt tamen sit solum conditio respectu remissionis pœnarum temporalium, cuius propria causa in Iubilæo, aut in alia quacumque indulgentia sunt satisfactiones Christi, & Sanctorum per illam applicatæ, quare minime oportet, vt opus ipsum, piaque causa in illo contenta sit vllo modo æquiualens ei remissioni: sed satis est, quod satisfactiones Christi, & Sanctorum longè illam excedant. Sicut ex hoc, quod ad amandum aliquod obiectum, requiratur solum indispensabiliter cognitio intellectus per modum cognitionis, non est necessarium, quod crescente amore crescat etiam cognitio, vt docet Diuus Thomas. Sed posita semel cognitione obiecti potest voluntas intensius illud amare, quam cognoscat.

Quarta ergo sententia quam cum Gregorio de Valentia 3 parte disp. 8. q. 20. de indulgentijs puncto 4. & alijs pluribus ab eo citatis proba-

probabiliorem, & veriorem puto, est D.Thomæ in 4.dist 20. q.1. art.3. existimantis omnem indulgentiam, atque adeo iubilarem concessam ex causa pia, quæcumque illa sit, validam esse omnino, seu integrè, siue tantum, quantum sonat, quamuis fieri possit, vt qui concederet Iubilæum propter causam minimam peccaret, quādoque ex quadam indiscretione, vt docet D.Thomas loco cit.ad 1. *Si præbens inordinate concedat indulgentias, itaut homines pro nihilo ab operibus pænitentiæ reuocentur, peccat, faciens tales indulgentias, nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur.*

Probatur primo hæc sententia quia non minus concessa fuit Sūmo Pontifici potestas remittendi pœnas peccatorum extra sacramenta, quam remittendi culpas in Sacramentis, sed videmus per sacramenta conferri primam gratiam peccatoribus, qui maxima scelera perpetrarunt, eosque iustificari, & mundari ab omni mortali culpa, quamuis sint solum attriti, nec tam perfectè dispositi, cū tamen remissio culpæ, & iustificatio, seu infusio gratiæ sit quid lōgè excellentius sola remissione pœnæ temporalis. ergo etiam licet opus in Iubilæo ad expiandas pœnas iniunctum non ita magnum esset, nec etiam causa proportionata, dummodo esset pia, tamen indulgentia adhuc valeret.

Secundo. Sufficit, vt indulgentia dicatur esse valida, quod dispensatio thesauri Ecclesiastici fiat secundum intentionem Christi Domini, sed quacumque existente causa pia, possumus merito interpretari huiusmodi dispensationem fieri secundum intentionem Christi Domini. ergo erit valida. Maior huius argumenti est certa, minorem autem probat Valentia vbi supra triplici fundamento.

Primum est, quod minimā gloriam diuinā, quæ ex opere quocumque pio, & vtili Ecclesiæ redundare potest, pluris longè facit Christus Dominus, quam quodlibet opus satisfactorium, præcisè vt est satisfactorium. Alterum est quod minime etiam timeat, ne tandem deficiat thesaurus ille infinitus satisfactionum suarum, etiam si pro paruo opere pio, causaque non proportionata, plenissima Iubilæi indulgentia concedatur. Tertium est, quod in hoc toto genere dispensationis indulgentiarum, non tam vult exerceri proportionalem quamdam iustitiam, quam gratiam, & liberalitatem: Sicut & nomen ipsum indulgentiæ, gratiam præ se fert, non iustitiam, quāuis ex parte rei applicatæ, scilicet satisfactionum Christi, perfectissima reperiatur iustitia, & compensatio. His enim omnibus positis possumus merito interpretari quacumque existente causa pia dispen-

pispensationem quantumuis plenissimam, fieri secundum intentionem Christi; quod satis est, vt indulgentiæ sint validę.

Quia tamen tam ad validam, quam ad discretam indulgentiæ concessionem non solum requiritur, quæcumque pia, sed etiam interdum proportionata causa, ideo ad vitandam huiusmodi indiscretam, aut inordinatam concessionem, in Iubilæis 25. quoque anno concedi solitis, qui omnem omnino indulgentiam, quanta per potestatem clauium dari potest, continent, opera quędam satis laboriosa præscribuntur. nam pręter confessionem, & communionem præscribitur deuota ecclesiarum visitatio triginta, aut quindecim dierum spatio. & finis, ad quem spectat Ecclesia in Iubilæo concedendo, est Dei gloria, Sanctorum honor, Sedis Apostolicę reuerentia, Hęreticorum conuersio, concordia Principum Christianorum, hostium Ecclesiæ repulsio, inuitatio fidelium ad perfectum viuendi statum. & similia: quæ omnia simul iuncta, non possunt non esse proportionata Iubilæi indulgentiæ causa, quę semper adęquate spectanda est, tam ex parte finis, quem sibi proponit Summus Pontifex in Iubilæo concedendo, quam ex parte operis, quod in illum finem ipse præscribit, cum vtrumque per modum vnius causæ ad vnum idem pręmium, nempe indulgentiam concurrant. Ita tamen, vt cum dicitur indulgentiam Iubilæi debere esse causę proportionatam, aut vice versa, principalius attendenda sit hęc proportio cum fine, quo enim finis est excellentior, magisque ad bonum Ecclesiæ faciens, eo maior, & copiosior indulgentia conferri potest. in opere vero non tam spectanda est illius difficultas, & excellentia (licet non negetur hęc duo plurimum iuuare) quam vtilitas, & necessitas eiusdem ad finem, nempe gloriam Dei, & commune bonum Ecclesiæ. vnde etiam si opus aliquod leue, & facile à Pontifice in Bulla Iubilęi præscriberetur, si tamen illud ad finem hunc assequendum multum conduceret, aut omnino necessarium esset, iusta tamen, & proportionata causa indulgentiæ Iubilęi esse posset. Sic quamuis exigui videatur momenti benedictionem Pontificis in die sancto Paschæ, aut alias interdum recipere, quia tamen hoc plurimum facit ad populum in vnius recognitione supremi capitis in Ecclesia, & in amore, atque reuerentia eiusdem conseruandum, ideo iam supra adnotauimus hanc benedictionis receptionem causam esse proportionatam indulgentię plenarię. & idem iudicium ferendum est de recitatione Rosarij per globulos à Summo Pontifice benedictos; hoc enim
ad

ad supremæ authoritatis eiusdem Pontificis recognitionem, & æstimationem, quæ magni est in Ecclesia momenti confert maximè.

Insuper notandum est: ad causam proportionatam Iubilæi similiter pertinere posse dignitatem personæ illum postulantis, in cuius fauorem æquum est, rationique moraliter consentaneum Pontificem illum concedere; vt si ob insignem pietatem, & in Ecclesia propugnanda religionem sit bene merita, aut speretur bene meritura de Sede Apostolica: tunc enim per opus quoddam leuissimum, intuitu talis meriti, & dignitatis huius personæ, indulgentia Iubilæi concedi potest. ad causam etiam proportionatam Iubilæi spectat, quod Populus Christianus ex hypothesi, fine illo, non esset tale opus facturus, vel continuaturus, sicut in peregrinatione ad limina Apostolorum apparet, cui non tam facile Populus Christianus se accingeret, si tali actioni non essent affixæ plenissimæ indulgentiæ, & sic de alijs. Vnde colligo opus, seu causam duplici modo dici posse Indulgentiæ Iubilæi proportionatam: primo quatenus opus præscriptum ex se est valde arduum, ac difficile, aut valde excellens. Secundo quatenus est ad bonum commune Ecclesiæ per necessarium, quamuis in se paruum, ac leue videatur.

CAPVT III.

Quod necesse sit causam Iubilæi esse publicam, seu quod ad commune Ecclesiæ bonum spectat.

DEscendendo modo ad causam finalem extrinsecam Iubilęi magis in particulari dico, quod proportionata indulgentiæ Iubilęi causa debet esse causa communis, & publica, seu vergens in commune Ecclesiæ bonum: causa enim debet esse effectui proportionata, sed concessio Iubilæi est indulgentia, quę toti Ecclesię conceditur, ergo requirit causam communem pertinentem ad vtilitatem totius ecclesię.

Talis est deuotio fidelium excitanda, & remuneranda ex Clemente VI. in extrauaganti *Vnigenitus*, vel vt idem ait ibidem,

Q pro

pro Beatorum Petri, & Pauli memoria crebrius recolenda, pro reuerentia ipsis à cunctis fidelibus deuotius exibenda; pro ipsorum patrocinio fauorabilius impetrando, fuit huiusmodi indulgentia salubriter, & sanctissimè instituta.

Vel ad conseruandam reuerentiam, obedientiam, deuotionem, ac dignitatem Sedis Apostolicę, quæ Romæ fundata est, vt supra diximus; ex hoc enim quod cęteræ indulgentiæ plenariæ per totum orbem suspenduntur, & solum Romæ hoc anno haberi possunt, excellentia, & primatus quidam Vrbis, & Sedis Romanæ facilè dignoscitur, necnon etiam vniuersalitas: tot enim ex omni terrarum parte hominum millibus religionis causa ad Apostolorum Sepulchra annò Iubilæi confluentibus, ipsa sola Romana Ciuitas ostendit Ecclesiam Christi esse Catholicam, seu vniuersalem.

Tales sunt denique omnes illæ causę, quas sanctissimus Dominus noster Innocentius Decimus in Bulla indictionis Iubilęi huius anni 1650. qui ab institutione Bonifacij VIII. tertius decimus est prudentissime proponit, monendo præcipuè fideles, vt orent pro Regibus & Principibus Christianis, vt quietam, & tranqillam vitam agamus, & pax, ac concordia perpetuo conseruetur. hoc pręsertim tempore, quo maximo omnium fidelium dolore ita inter se acriter diffidentibus, non mediocre Christianitati periculum videtur imminere ab Othomanica tyrannide.

Notandum est tamen: parum referre ad concessionem Iubilæi, num causa illa communis, ob quam indicitur immediate, vel mediatè pertineat ad vtilitatem totius Ecclesiæ, quia sępè confertur Iubilæus toti Ecclesiæ pro salute vnius regni, vel prouinciæ, vt experientia constat. Et huiusmodi videtur ille, qui pro recuperanda Terra sancta conceditur in Concilio Lateranensi in fine, qui etiam extenditur ad pugnantes contra Hęreticos ibidem cap. 3. illique omnes, qui grassante aliqua hęresi, aut alia necessitate in aliquo regno, aut prouincia in dies conceduntur à summis Pontificibus; cum bonum vnius partis principalis redundet semper in maximum totius corporis bonum.


Similiter quandoq; Iubilęus non conceditur immediatè personis, sed mediante aliquo loco, satis est, vt Iubilæus, vel causa illius locum illum attingat immediate, aut sanctum aliquem qui specialiter in eo loco colitur. & hoc præsertim modo conceditur celebris indulgentia anni Iubilęi deuotè visitantibus limina Apostolorum, dum

dum in Bulla dicitur: *Venite ergo ad locum, quem elegit Dominus, ascendite ad mysticam hanc Hierusalem tot, tantisque à Deo beneficijs auctam, tot muneribus cumulatam, vt vere de ea dicatur, fluminis impetum lætificare Ciuitatem Domini, cælestium nempe fluminis gratiarum, cuius opportuna irrigatione fidelium animæ fœcundantur, &c.*

Et paulo inferius: *Quo ipso Iubilæi anno durante, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam Lateranensem, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe Basilicas semel saltem in die, per triginta continuos, aut interpolatos dies, si Romani, vel Incolæ Vrbis, si vero peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem dies deuote visitauerint, & pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.*

Tertio ad concessionem Iubilæi non est necessaria causa communis, quæ ex aliqua peculiari necessitate, aut imminente malo nascatur. Sed sufficientissima causa esse potest Christiani Populi reformatio, vel spirituale augmentum, maiorque Ecclesię Catholicę exaltatio.

Vltimo tandem aduertendum est: non oportere vtilitatem hanc immediate esse spiritualem; aliquando enim potest esse temporalis, qualis est defensio Ecclesiæ ab hostibus eius, eleemosynarum elargitio in hunc finem, instauratio templi, aut aliarum rerum sacrarum, vt patet in infinitis exemplis.



CONTROVERSIA IX.

De præcellentia Iubilæi Ecclesiastici comparatiue ad alias Indulgentias.

CAPVT I.

Afferuntur variæ Indulgentiarum formulæ, seu diuisiones.



VM nulla comparatio fieri possit absque aliqua extremorum cognitione, ostensurus in præsenti dignitatē Iubilęi Ecclesiastici, per ordinem ad alias Indulgentias operępretium duxi varias prius illarum diuisiones in medium breuiter afferre. Indulgentia ergo generaliter sumpta est duplex altera plenaria, seu plenissima, qua relaxantur pœnę omnes iudicio diuino peccatis debitę. altera definita, & determinata respectu certi alicuis temporis, vt cum dantur Indulgentiæ vnius anni, decem annorum, quadraginta dierum, &c. quidam mutatis terminis vocant remissionem totalem, & partialem, ita ad quam reducitur Indulgentia dicta Carena siue idem fit, ac quadragena, & significat remissionem ieiunij quadraginta dierum in pane, & aqua, vt volunt aliqui, siue antiquo Ecclesiæ vocabulo dicatur à carendo: vt notat Glossa in caput *accepisti*, extra de sponsa duorum, propter carentiam hominum, inquit, vel cibariorum, vt pote carnium, quia pœnitentes per aliquos Canones interdum à consortio hominum ad aliquot dies seiungebantur, vel à certis quibusdam cibis eo tempore, quo pœnitentiam suam peragebant, abstinere debebant, quocumque enim modo sumatur huiusmodi indulgentia semper est partialis certoque numero dierum, vel annorum definita.

Iterum vnaquęq; Indulgentia, tam plena, quam non plena diuiditur in temporariam; & perpetuam: temporaria dicitur, quæ datur pro tali die, & tali anno tantum, vel datur etiam recurrente eodem die, sed per quinque, aut sex annos subsequentes, & non

vltra.

vltra. Perpetua verò appellatur, quam concedit Summus Pontifex pro futuris annis in perpetuum, vel pro quolibet anno sequente absque vlla limitatione, aut restrictione explicita, dico explicita, quia licet per quasdam bullas Pontificis videatur formaliter explicite in perpetuum concedi, attamen virtualiter, & implicitè est solum ad tempus 20. annorum propter regulam 67. Cancellariæ Romanæ, in qua habetur Indulgentiam absolutè concessam alicui Ecclesiæ pro tali die cuiuslibet anni futuri restringēdam esse ad 20. annos, vt notat Nauarrus tractatu de Indulgentijs cap.9. num:8. aut ad summum ad proximum Iubilęum, quo scilicet omnes plenarias remissiones suspendi infra docebimus. Sicque proprie; ac stricte loquendo nullę sunt hodie indulgentię perpetuę, sed tantum improprie, & latè, quatenus si in perpetuū concessę fuerint absque vllo termino quamuis post 20. annos, vel post Iubilęum, noua confirmatione indigeant. Hęc tamen confirmatio facillimè impetratur, & est quasi moraliter certa, ita vt pro impetrata quodammodo reputari possit.

Vltimo Indulgentię tam plenarię siue totales, quam non plenarię, siue partiales, loquendo de indulgentijs viuis concessis diuiduntur in eas, quę conceduntur in vita, & eas quę in mortis articulo, prȩsumpto, vel vero, secundum tenorem Bullę: quando enim in illa diserte exprimitur articulus verus, nemo tunc Indulgentiam consequitur intuitu mortis nisi re vera paulo post moriatur. sin autem articulus verus expressus non fuerit, sed generaliter habeatur in articulo mortis, tunc censetur Indulgentia applicari, quando quis fuerit probabiliter in tali periculo constitutus, etiamsi forte postea conualescat, & toties, quoties in eundem articulum inciderit, si ita expresè in litteris Pontificijs fuerit declaratum, sin minus, semel tantum non pluries.

Quæ omnes diuisiones ita se habent vt sola prima sit aliquo modo essentialis, cęterę autem merè accidentales: vnde in prȩsenti Cōtrouersia acturus, de præcellentia Iubilæi comparatiuè ad alias indulgentias relictis omnibus alijs diuisionibus, solummodo tractabo de plenarijs, siue totalibus, & non plenarijs, siue partialibus.

CAPVT II.

De praecellentia Iubilaei Ecclesiastici comparatiue ad Indulgentias non plenarias, siue partiales.

PRimo ergo comparando Iubilæum cum alijs indulgentijs non plenarijs in ordine ad causam materialem, & formalem, cum in Iubileo fiat copiosissima thesauri Ecclesiastici distributio atque adeo plenissima pœnarum temporalium remissio, ac relaxatio nemini dubium esse potest, quin ex hac parte indulgentia Iubilæi superet dignitate omnes alias non plenarias, quæ tantummodo sunt alicuius determinatæ, ac definitæ partis.

Insuper ex parte causæ efficientis præcellit Iubilæus, qui conceditur à solo Summo Pontifice, vnico & immediato dispensatore vniuersali thesauri Ecclesiastici, quam potestatem à Christo Domino collatam iure diuino habet. Cum tamen Episcopi solum possint concedere vnum annum indulgentiæ in dedicatione alicuius Ecclesiæ; in anniuersario autem die talis dedicationis, solum indulgentiam quadraginta dierum, quam etiam dare possunt in quocũque casu, in quo eis occurrit causa sufficiens ad concedendas indulgentias. Et hanc adhuc facultatem secundum multos doctores habent Episcopi solo iure humano respectu suorum subditorum. & si secundum alios Doctores talis potestas competit ipsis iure diuino; ita tamen competit, vt hæc eorum potestas secundum executionem subsit, & subordinetur potestati Summi Pontificis.

Tandem ex parte causæ finalis extrinsecæ tam ad validam, quam ad discretam, & ordinatam Iubilæi concessionem, maior pietas in causa requiritur, quam in alijs indulgentijs non plenarijs, seu partialibus. Vnde attentis diligenter omnibus causis Iubilæus Ecclesiasticus illis longo præcellit interuallo.

CAPVT III.

De praecellentia Iubilaei in ordine ad Indulgentias plenarias.

IN Sententia illorum Doctorum, qui ita distinguunt indulgentiam plenariam, in plenam, pleniorem & plenissimam tanquam in tres species; vt indulgentia plena dicatur, quando concedit relaxationem totius pœnę iniunctę per Confessarios: plenior, quando totius iniunctę per confessarios, & iniungendæ secundum rigorem antiquorum canonum: plenissima vero quando absolute totius pœnæ etiam illius, quam Deus in suo iudicio pro qualitate peccatorum posset exigere. Cum Iubilæus sit plenissima quædam indulgentia omnes alias compræhendens, dicendum esset ipsum alijs præcellere pro ratione talis relaxationis pœnarum omnium, aliquo modo essentialiter, & specificè.

Verum quia secũdum præsentem statum, & vsum verius est nullam esse differentiam inter illas indulgentias, quo ad proprium, & per se effectum indulgentiæ plenariæ vt sic, quod tenent multi, colligiturque ex extrauag. *Vnigenitus*, in qua indulgentia in duo illa tantum membra secatur, totalem scilicet, & partialem: constat autem secundum præsentem vsum Ecclesiæ tantum vocari indulgentiam plenariam eam, quæ totalis est. Et certe si plenaria indulgentia absolute, & sine limitatione concessa, relaxat omnem pænã residuam de peccatis remissis tam mortalibus, quam venialibus; confessis, vel non confessis; habentibus pœnitentiam iniunctam, vel non habentibus, non videtur superesse aliquis maior effectus, qui per indulgentiam pleniorem, aut plenissimam fiat, aut ratione cuius distinctionem aliquam inter se essentialem ac specificam habeant, sed ait Soto 4. distinct. 21. q. 2. art. 1. Indulgentiarum concionatores exagerationis gratia illã gradationẽ ex Bonifacio VIII. in extrauag. Antiquorum desumpsisse ad maiorem rei declarationem, & vt fideles de effectu indulgentię certiores redderentur Iubilæus qui est plenissima quædam Indulgentia, aliam dignitatem maiorem, quam accidentalem præ illis duabus plena scilicet, & pleniori habere non potest.

Primo ratione cuiusdam maioris vniuersalitatis in causa: Secundo

CAPVT IV.

Quod ad ſupradictam Iubilæi Eccleſiaſtici Excellentiam ſignificandam non deſint plures tituli ac nomina.

D. Thomas docet eam eſſe rerum magnarum, & excellentium conditionem, vt plura habeant nomina, quod enim vnico nomine, aut conceptu ob ſui eminentiam exprimere non poſſumus, multiplicatis nominibus, aut conceptibus exprimere conamur. Vnde etiam Summi Pontifices in ſuis bullis, ac diplomatibus, alijque Doctores in ſuis ſcriptis Anni Iubilæi dignitatem præ omnibus alijs ſignificare volentes, pluribus illum titulis, ac nominibus decorarunt.

Primo vocatur Annus Sanctus omnibus illis rationibus, quibus aliquid Sanctum appellari poteſt. Nam ſi Sanctum idem eſt, ac purum, & mundum iuxta illud D. Dioniſij de diuinis nominibus c. 12. *Sanctitas eſt ab omni immunditia libera*, cui competit nomen Græcum ἄγιος, ideſt ſine terra; Munditiem ſummam Annus Iubilæi requirit, cuius fructus non niſi puri, ac mundi corde per gratiam ſanctificantem percipere poſſunt. Munditiem item continet quod fideles hoc pręſertim tempore munditiei, ac puritati cordis intenſius vacent, & deſideria carnis non perficientes, orationibus inſtantes, alijſque operibus pijs terreſtrem, & veterem hominem exuant, ac quaſi aurum puriſſimum ab omnibus terræ ſordibus purgati, & emundati nouum hominem induti in holocauſtum purum, oblationemque perfectam per caſtam, ac puram vitam Deo ſeſe offerant. Si ſanctum dicitur, quod eſt firmum; vndè prędeſtinati à D. Paulo Epheſ. 1 Sancti, ante mundi conſtitutionem electi, & immaculati in conſpectu Dei vocantur quod à Chriſti gratia; ſaltem finaliter nequeant ſeparari. Quid firmius Iubilæo, cuius Indulgentiæ infinito ſatisfactionum Chriſti, qui eſt verum Eccleſię fundamentum, theſauro innituntur? Item ſi ſanctum vocatur, quod lege, ſeu decreto ſancitum & firmatum eſt, vnde etiam leges ſanctiones ſanctę dicuntur, quomodo ſanctus non appellabitur Iubilęus, quem non ſolum humana, & Eccleſiaſtica lege, ſed etiam diuina munitum eſſe ſupra demonſtrauimus. Quarto ſi ſan-

ctum idem significat ac sanguine tinctum, vel respersum; quamob-
rem Christiani, quia pretioso Christi sanguine à peccatorum sordibus mundati sunt, a D.Petro epist.1.c.2. appellantur, Gens sancta, & populus acquisitionis; cum thesaurus meritorum, & sanguinis Christi, quem in cruce pro nobis effudit, in anno Iubilæi vsquequaque aperiatur, & abundantissime dispensetur, vere annus ille sanguine tinctus, atque adeo sanctus extimandus est. Tandem si sanctum idem est, ac diuinis obsequijs dedicatum, qua ratione passim in scriptura homines, loca, dies, vasa, vestimenta, & alia similia, quæ diuino cultui cõsecrantur, sancta dicantur. aut etiam sanctum dicitur religio ipsa, & obseruatio quædam iustitiæ eorum, quæ ad Deum spectant, vt Lucæ 1. *Seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso*. Nullum est certe tempus, in quo magis fideles Deo Optimo Maximo egregia pręstent obsequia, quam in annis Iubilæi, vt memorię commendarunt, qui eorumdem annorum historias texuerunt.

Secundo dicitur annus pacis; quia dum in illo hominis debita soluuntur reconciliatur Deo perfecte pacemque conscientiæ consequitur hic in terris, & æternam in Cœlis. Eatenus enim vocatur Christus author pacis, quod pro nobis satisfaciendo reconciliauit nos Deo, & hæc satisfactio Christi, eiusque Sanctorum per anni Iubilæi indulgentiam abundantius applicatur.

Tertio annus Benignitatis Dei, aut Benedictionis nuncupatur, quod per eum nobis applicetur peculiari modo Benedictio maior, & minor; culparum scilicet mediante confessione, & pœnarum mediante Indulgentia, quam Christus modo meruit, & attulit, vnde & dictus est semen benedictum, in quo benedicendæ erant, & iam benedictionem consecutæ sunt omnes gentes. Sic ad hunc annum mysticè, & spiritualiter referri poteſt illud psalmi 64. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: omnesque illæ benedictiones, quibus Genes.2. dicitur Deus benedixisse diei septimo designans benedictionem quietis æternę glorię Leuit.25. anno sexto Deus ex illo fructum durantem vsque ad octauum annum benedicit enim Deus larga manu implens omnem hominem benedictione, qui anno sancto ad fructum sacri Iubilæi deuote Sedis ponit.

Quarto dicitur Annus magnus, non quod alijs diuturnior sit, sed ob magnas diuitias cælestes, quę tunc hominibus dantur ob magnitudinem thesauri spiritualis, qui eo anno iuxta plenitudinẽ amplissimam Pontificiæ potestatis aperitur. Cui possumus addere

Iubi-

Iubilæi annum vere dici magnum, quia ſublimis, profundus, latus, longuſque ſit. His enim dimenſionibus vnaquæque res magna in ſacra Scriptura dicitur ſicut vocatur mons magnus Daniel.2. ob ſublimitatem. Chaos magnum ratione profunditatis Luc.16. campus magnus ratione latitudinis 1. Machab.5. & magna via ob longitudinem 3.Reg.19. Eſt ergo Annus Iubilæi ſublimis ob ſingularem Cæleſtium bonorum repręſentationem, contemplationem, deſiderium, atque adeptionem. Eſt profundus cum in ipſius nomine ethimologijs, figuris, vaticinijs ac cæremonijs tot habeantur myſteria.

Eſt latus ob amplitudinem facultatis abſoluendi, ac diſpenſandi tunc conceſſæ. Eſt denique longus, cum vſque ad finem ſæculi ſit Deo dante Romæ duraturus.

Quinto annus gaudij appellatur. Si enim magnum gaudium, eſt in Cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quanto magis ſi quamplures, & innumeri peccatores pœnitentiam agant, talis conuerſio, quæ in anno Iubilęi frequentiſſima eſt, non ſolum Eccleſiam militantem, ſed etiam triumphantem exhilarabit.

Sexto annus fertilis, ſeu germinis dicitur: non ſolum quia ferax eſt, imo omnium fructuum ſpiritualium fæcundiſſimus ſed etiam nouos ſemper flores, ac fructus ſanctitatis progignat. Is enim, qui ſacrum Iubilæum dignè conſequitur, ad ſimilitudinem ruinoſæ arboris prope fluenta aquarum ſatæ, incrementa virtutum beneficio ſanguinis Chriſti magis, ac magis recipit.

Et ſic de alijs pluribus titulis, ac nominibus, quorum prolixior tractatio cum ad Eccleſiaſten, vrbique diuini concionatorem pertinere potius, quam ad Theologum ſcholaſticum, cuius in hoc opere principaliter partes agere conamur, libenter illi ſuperſedeo remittendo Lectorem ad Angelum Pientinum, & Rutilium Benſonium in huiuſmodi nominum, ac titulorum explicatione.



CONTROVERSIA X.

De vtilitate, siue effectibus Anni Iubilæi.

CAPVT I.

Quomodo verum sit quod Indulgentiæ Iubilæi tantum valeant, quantum sonant.



VM Iubilæus Ecclesiasticus nullos alios habeat effectus per se, quam illos, quos verba indictionis, ac promulgationis ipsius sonant, priusquam deueniamus ad declarationem huiusmodi effectuum in particulari, operæ pretium est prius breuiter explicare, quomodo sit intelligendum vulgare illud inter Theologos axioma Iubilæum, & Indulgentias tantum valere, quantum sonant.

Loquendo ergo de iudicio vniuersali siue speculatiuo, prout distinguitur à prattico, seu particulari dicendum est absolute tãtum valere Indulgentias Iubilæi, quantum sonant, si concurrant quatuor conditiones. authoritas in concedente; gratia, & charitas in suscipiente causa sufficiens, & legitima, propter quam concedantur, siue ad illam sufficiat pietas, siue requiratur proportio secundum diuersitatem opinionum: & tandem exequutio, & obedientia in his præstandis, quæ iniuncta fuerint.

In hac assertione conueniunt omnes Theologi, & re vera nihil amplius videtur desiderari posse ad veritatem Indulgentiarum Iubilæi ergo vel simpliciter neganda est facultas concedendi Iubileos in Ecclesia, quod est hæreticum, vel certe positis omnibus illis quatuor conditionibus fatendum est Iubilæi indulgentias tantum valere, & operari quantum sonant; ita vt omnes pœnæ peccatis debitę per illas plenissime remittantur.

Deinde ex dicendis infra Indulgentiæ obtinent effectum suum infallibiliter ex opere operato, ergo sublato obice, positisque ponendis tantum valere debent, quantum sonant, loquendo de iudicio vniuersali, & speculatiuo.

Dixi

Dixi loquendo de iudicio vniuersali, ac speculatiuo, nam si loquamur de illo practice, seu in particulari, recte aduertit Suarez 3.p.disp. 56. non esse certum, & infallibile hanc indulgentiam tantum operari, quantum sonat sicut enim in Sacramento pœnitentię, quamuis sit certum, & infallibile absolutionem Sacerdotis esse validam & habere effectum, subintellecta conditione, si pœnitens nō sit fictus, nec ponat obicem: in indiuiduo tamen non est infallibile hanc absolutionem esse validam, præsertim quo ad effectum, quia nunquam est ita infallibile pœnitentem esse dispositum. Ita similiter in consecutione Iubilæi quo ad effectum sibi proprium possumus ratiocinari. Si quidem rationes in vtroque nituntur semper aliquo discursu humano, qui quidem per se est errori obnoxius, ac proinde conclusio etiam incerta, quæ nimirum sequitur semper debiliorem partem. Neque ab Ecclesia ex professo vmquam definitum fuit indulgentiam Iubilæi in vnoquoque tantum valere, quantum sonat suumque effectum certo, & infallibiliter obtinere. Imo talis declaratio sub definitionem Ecclesiæ cadere non potest, cum non sit de doctrina ad fidem pertinente, sed de quodam facto particulari quoad prudentiam spectat, in qua Pontifex, aut Ecclesia non habet infallibilem assistentiam Spiritus sancti, sed in his tātum, quæ ad doctrinam fidei, & morū pertinent iuxta illud Luc.22. ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.

At si desit aliqua ex prędictis conditionibus, omnes Doctores conueniunt, Iubilæi indulgentias non tantum valere, quantum sonant; siue loquamur practice, & in indiuiduo, siue loquamur speculatiue. In primis enim de authoritate in concedente dubium esse non potest, quin sit conditio absolute necessaria: si quidem maior defectus assignari non potest, quam facultatis, vel potentię ad aliquid agendum maxime in rebus supernaturalibus, & ex sola Christi voluntate, ac iustificatione pendentibus. De gratia quoque in suscipientibus constat illam omnino esse necessariam; non enim remitti potest pœna per indulgentiam, nisi prius remissa, ac sublata per gratiam culpa, vt dicetur infra. Tertio quod attinet ad legitimam, & sufficientem causam supra iam probauimus. Tandē vltima conditio sita est in opere pręscripto, & imposito, tanquam medio ad finem Iubilæi consequendum, de cuius necessitate agemus etiam infra.

CAPVT

CAPVT II.

Quid significent & valeant illa verba indictionis Iubilæi.

Sanctiss. D. N. INNOCENTII X. Plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus &c.

PRimo loquendo de indulgentia Iubilæi præcise vt tali constat ipsam non liberare a vinculo, & reatu culpæ mortalis, per se, & ex natura sua, si quidem peccatum mortale posita ordinatione diuina, absque gratiæ infusione tolli nequit: gratia autem non nisi per sacramenta, aut actus contritionis, siue charitatis infunditur. ergo cum indulgentiæ Iubilæi extra Sacramentum operentur, & ex se sint opera quædam magis laboriosa, quam meritoria, culpam lethalem, & pœnam æternam ipsi debitam nequaquam auferre possunt per se & ex natura sua. Dico per se, & ex natura sua, quia concomitanter, & per accidens ratione operum, vt ieiunij, eleemosynæ, visitationis Ecclesiarum, & cæterorum in indulgentię iubilaris concessione iniunctorum volunt aliqui Iubilæi indulgentiam prodesse posse ad remissionem peccatorum mortalium quoad culpam per modum impetrationis, ac intercessionis; impetrando scilicet sibi pium aliquem contritionis motum, etiamsi in peccato mortali opera illa iniuncta exerceat quis eo modo, quo quæuis pia opera auxilio gratiæ facta in peccato mortali remote, & per accidens valent, & disponunt ad gratiam iustificãtem obtinendam.

Sed non est hic proprius, nec formalis indulgentiæ Iubilæi effectus: si quidem talis indulgentia formaliter se habere debet per modum remissionis, ac condonationis, non autem orationis, vel impetrationis; debetque eius effectus potius esse priuatiuus remouendo pœnam, eiusque reatum, quam positiuus, qualis est orare, supplicare, & impetrare. Vnde si quandoque in consequendis indulgentijs pios aliquos motus experimur, illi, non ex vi in-

dulgen-

dulgentiarum, sed ex ōpere operantis, quod nullam cum indulgentijs connexionem nisi per accidens habet, oriuntur, quamuis nihil obstet, quominus ab Ecclesia ad hunc pium motum excitandum extraordinariè referantur, vt inquit Suarez sect. 1. de Indulg.

Similiter indulgentię Iubilæi ex se, & ex vi sua non remittunt immediate, aut directe culpas veniales, sed mediate solum, indirecte, & per accidens. Prior pars huius propositionis ex eo liquet, quod indulgentiæ primo, & per se ordinantur ad remittendas pœnas; cum ergo in peccatis venialibus sit etiam suo modo distinctio inter culpam, & pœnam, vt docent Theologi 12. tract. de peccatis, nec pœna sit ipsa culpa, sed quid culpa posterius; sic vt indulgentia supponit peccatum mortale dimissum, vt effectum suum sortiatur, itaut reatus pœnę tolli non possit, nisi antea soluatur vinculum culpæ lethalis, ita etiam supponit culpam venialem dimissam, illudque de necessitate, loquendo de generali pœnarum remissione.

Etsi enim iubilæi fructum in peccato mortali possimus consequi, vt enim ipsum non impedit gratiæ sanctificantis infusionem: sic neque pœnę temporalis relaxationem impediet: nunquam tamen cōsequimur remissionem pęnæ particularis, quæ debetur huic peccato veniali, nisi prius sit remissum, siquidē impossibile est, vt non remaneat obligatio ad pœnam, quamdiu manet peccati culpa, & macula in affectu voluntatis, & cuius nullam saltem implicite, & virtualiter displicentiam habuimus. Supponit ergo indulgentia de necessitate remissionem cuiusuis culpæ etiam venialis ad hoc, vt generalem, ac proprium suum effectum obtinere, & habere dicatur.

Posterior vero conclusionis pars ex eo probatur, quod in bulla iubilæi multa opera bona, ac pia præscribuntur, quibus maxime excitatur deuotio, & charitas eorum, qui talia opera peragunt, sūtque ex hypothesi in statu gratiæ, quia habent solas culpas veniales, atqui huiusmodi deuotio, & charitatis feruor sunt aptissima media ad delendum peccatum veniale; ergo indulgentia licet ex se culpam venialem non remittat, id tamen per accidens, & ratione operis iniuncti, vt pote visitationis Ecclesiarum, recitationis orationis Dominicæ in hunc finem præstare potest.

Notandum est tamen cum Bensonio lib. 4. de iubil. cap. 7. iubilæi indulgentiam posse venialia peccata ex vi sua, seu ex opere operato remittere, si Ecclesia eam ad hunc remissionis effectum referret, & instituerct per modum alicuius Sacramentalis. Non constat tamen de facto Ecclesiam ita instituisse, aut ad delenda venialia v[illegible]las

vnquam

vnquam indulgentias concessisse, cum hæc peccata alijs medijs facillimis, & leuissimis tolli possint.

Supposito ergo quod Indulgentia Iubilæi non sit per se remissiua culpæ & pœnę, cum id sit proprius effectus baptismi, vel absolutionis sacramentalis, quæ summam contritionem annexam habet, inquiret aliqui, quo sensu in bulla promittatur talis remissio, ac leuis.

Respondetur facilè talia bullarum Pontificiarum verba intelligi debere præsuppositiuè quatenus omnes quot quot sunt Indulgentiæ ita pendent à Sacramentis tanquam conditionibus, vt semel culpis mortalibus per illa præsuppositiue remissis, per subsequentem postea Indulgentiam pœna solum relaxari dicatur formaliter, & ad hoc significandum, supradicta remissio promittitur, & impertitur omnibus vtriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & cōfessis &c.

Concomitanter etiam per Iubilæum peccata remitti ac relaxari dicuntur quatenus in concessione illius conceditur quoque facultas eligendi confessorem, qui possit pœnitentem à reseruatis absoluere, & hoc non habet aliam difficultatem.

CAPVT III.

Vtrum per Iubilæi Indulgentiam liberetur eius ab obligatione perficiendi pœnitentiam in confessione à Sacerdote impositam:

LOquendo de pœnitentijs pro phylacticis, & præseruatricibus seu medicinalibus, est in confesso apud omnes Tholologos huiusmodi pœnitentias non condonari nec remitti per vllam quantumuis plenissimam indulgentiam, sed absolutè iniungi ad impediendum, & vitandum peccatum, cui pœnitens fuerit obnoxius, tota ergo difficultas reducitur ad pœnitentias seu pœnas quas expiatorias, & satisfactorias seu redemptrices cōmuniter appellamus, v.g. Confessarius alicui propter grauitatem sui peccati iniunxit, vt per annum integrum bis in hebdomada pane dumtaxat, & aqua vescatur, aut ieiunet Si hic Iubilæum lucrifaciat quæritur an non amplius ad illud ieiunium teneatur.

Pro intelligentia difficultatis notandum est huiusmodi expiatorias pœnitentias, seu pœnas esse in duplici differentia, aliæ enim sunt à Sacerdote iniunctæ, aliç vero iniungendæ si rigorem antiquorum canonum sequeremur. Rursus pœnitentiæ à Sacerdote iniunctæ, ac pœnitenti impositæ sunt adhuc duplices, aliæ enim leuiores & communes quæ passim in sacramentali absolutione imponi solent, saltem ad inregritatem Sacramenti, aliæ grauiores quadraginta dierum in pane & aqua, vel vnius anni, & sic de reliquis.

Prima ergo sententia tenet, per Iubilæi concessionem, ac consecutionem, cum sit plenissima quędam indulgentia omnes alias cõprehendens liberari pœnitentem ab obligatione perficiendi pœnitentiam ad quam Sacerdos illum in confessione obligauit, ita Cordubensis quæst. 8. Suarez disput. 2. de Indulg. sect. 2. alijque plures quorum fundamentum ac ratio à priori esse videtur, quod comparato effectu Indulgentiæ Iubilaris isto, iure, & facto tollatur necessitas pœnitentiæ iniunctę, & ideo per se se cessat obligatio eius. Declaratur quia effectus Indulgentiæ Iubilæi est plenissima omnis pœnę temporalis remissio, ac relaxatio, ergo formaliter expellit reatum seu delictum eius, implicat enim pœnam esse remissam, & adhuc manere debitum satisfaciendi pro illo vndecunque ortum sit siue ex diuina lege siue ex præcepto confessoris.

Oppositā nihilominus sententiā ruentur Paludanus in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 2. & Valentia puncto 3. de Indulgentijs, duæque academiæ Parisiensis præclarissima lumina Philippus Gamacheus disputat de Indulgentijs cap. 7. & Andreas du Vallius tractatu de Indulgentijs artic. 8. pro cuius sententię explicatione sequentes Conclusiones pono.

Prima propositio, remissio in bulla Iubilæi promissa illum lucrātibus extenditur ad pœnitentias iniungendas, & sacris Canonibus constitutas, siue quę ex veteris Ecclesię ritu, ac formula pro singulis peccatis imponi debebant, iuxta antiquos canones pœnitentiales apud Burcardum Iuuenem Cemolensem Diuum Isidorum & alios. In hac conclusione conueniunt omnes Theologi, colligiturque manifeste ex Bonifacio VIII. extrauaganti antiquorum, vbi concedit fidelibus Iubilæum à se indictum lucrifacientibus plenissimam indulgentiam omnium peccatorum, itaut tanta sit, quanta per potestatem clauium conferri potest, vt ipsemet Bonifacius teste Glossatore qui pręsens tunc in Concistorio Cardinalium aderat interprætatus est, eumdem concedunt Clemens VII. & Sixtus V. in

anno Iubilæi, sed potestas clauium in Summo Pontifice se extendet ad relaxandas pœnas quæ merito iniungi deberent, seruato antiquo Ecclesię ritu, ergo cum Iubilæus sit plenissima quædam Indulgentia omnes alias compręhendens per illum remittuntur non solum pœnæ quæ secundum antiquorum canonum rigorem sunt iniunctæ, sed etiam essent adhuc iniungendæ & quarum sumus debitores coram Deo, & quibus propterea, si hic non fuerit satisfactum in purgatorio satisfaciendum erit, etiam si à Sacerdote & antiquis Canonibus actu iniunctæ non sint.

Et si enim nemo teneatur in hac vita subire pœnas pro suis peccatis, quæ in antiquis Canonibus decernuntur, nisi prius illæ per Sacerdotem iniunctę fuerint & impositę, nec vllo modo pœnitens peccet si eas non perficiat, nihilominus tamen semper manet obligatus & obstrictus ad satisfaciendum iudicio diuino & ad luendas pœnas in purgatorio, quæ respondent septem aut decem annis pęnitentię Canonicę huius vitę. Vult enim Deus vt suę iustitię peccatores satisfaciant, vnde licet Ecclesia relaxando pœnas iniungendas: per Indulgentiam plenissimam Iubilæi non remittat pœnas illas canonicas, quippe quę de facto non obligant si à Sacerdote non fuerint impositæ, cum iam maxima ex parte in desuetudinem abierint, remitti tamen pęnas in iudicio diuino debitas quę remissæ fuissent per tot annos pœnarum canonicarum huius vitæ, si eas Sacerdos imposuisset & pœnitens eas adimpleuisset; Dum enim in bullis conceduntur Indulgentiæ 300. annorum & mille annorum, imo & pro multis annorum millibus, quæ omnes Indulgentiæ continentur in plenissima Iubilæi Indulgentia, significatur fideles, qui tales consequantur Indulgentias, obtinere tantam remissionem pœnę quantam obtinuissent, si tanto tempore pœnitentias iuxta rigorem canonum iniunctas aut iniungendas egissent, non autem est sensus per talis Indulgentiæ concessionem hominem liberari à pœnis in purgatorio per tot annos luendis. Qualis autem sit proportio inter pœnas purgatorij, & pœnas huius vitæ, tam quoad intensionem quam quoad extensionem, & durationem pęnitus ignoramus, solique Deo relinquendum, quot anni pœnarum purgatorij precise respondeant pœnis & annis huius vitę pręsertim vero, quia vna & eadem pœnitentia cęteris partibus nunc magis nunc minus satisfactoria est in pręsenti statu secundum quod maiori aut minori charitate, humilitate, ac deuotione suscipitur & adimpletur; Si quidem apud Deum plus valet mensura doloris
quam

quam temporis, vt refertur cap. mensuram de pœniten. dist. 1. narratque Petrus Damianus epist. 9. lib. 2. sex diebus in magna illa vitę austeritate ac seueritate transanctis.

Probatur secundo, Conclusio, quia si per Iubilęi indulgentiam non condonarentur huiusmodi pœnæ per antiquos canones iniunctę, & secundum illos iniungendę, si adhuc essent in vsu non esset, vnde plenissima Iubilæi Indulgentia ab alijs distingueretur, nulliusque fere momenti esset, igitur debet intelligi do quibuslibet pœnarum temporalium iniungendarum speciebus.

Secunda propositio, loquendo de grauioribus pœnitentijs quãuis à Sacerdote forte iniunctę fuerint, relaxantur & condonantur per Indulgentias totidem dierum vel annorum atque adeo multò magis per indulgentiam plenissimam & Iubilarem, ita vt pœnitens, qui consequitur illum, non teneatur illas prædictas pœnitentias subire aut adimplere, hæc est conclusio authorum primę sententiæ, videturque colligi ex authoritate Bonifacij VIII. qui anno Iubilæi 1300. prohibuit Romano Pœnitentiario ne iniungeret pænitentias confitentibus per totum annum, vt refert Paludanus in 4. dist. 20. quia scilicet pœnę & satisfactiones à Romano Pœnitentiario ex officio pœnitentibus præscriptę cum sint pro maioribus peccatis Sũmo Pontifici plerumque reseruatis solent etiam esse grauiores ac duriores; Si tales imponerentur de facto pęnitenti ab aliquo Sacerdote, liberaretur ille per Iubilæi consecutionem ab onere illas adimplendi.

Ratio autem essentialis est, quia frigescente iam Christianorum charitate huiusmodi seueriores pœnitentię nõ imponuntur simpliciter in hodierna Ecclesiæ praxi, sed tantum sub conditione & veluti disiunctiuè, vt nimirum pœnitens, vel exsoluat & teneatur exsoluere sub pœna peccati pęnitentiam iniunctam vnius anni, vel plurium postquam acceptata fuit, vel certe redimat ac compenset beneficio Indulgentiarum quarum vsus successit modo grauissimis Ecclesiæ primitiuę pœnitentijs à Sacerdotibus in ea imponi solitis, vigente primorum Christianorum feruore ac charitate, ita Nauarrus tract. de Indulgentijs cap. 9. num 12. citans Adrianum Paludanum & Caietanum.

Neque id ludicrum esse putandum vt quidam possent obijcere, siquidem re vera, sic semper imponitur pœnitentia vnius anni obligans sub pœna peccati supposita vt dicebam illius acceptatione quamuis non imponatur, nec obliget simpliciter, sed solum sub

conditione, hoc est nisi pœnitens ad Indulgentias confugiat, easq; obtinere studeat, vel sub disiunctione, ita vt deinceps verè teneatur exequi id quod fuerit præscriptum, vel certe illud per indulgentias supplere.

Notandum est tamen ita pœnitentes per Iubilæum liberari ab obligatione perficiendi huiusmodi seueriores pœnitentias ad quas Sacerdos illos in confessione obligauit, vt tamen ex D. Thoma in 4. senten. distinct. 20 q 1. art. 3. ad 4. consulendum esset ijs qui illum obtinent, ne idcirco ab operibus pœnitentiæ iniunctis abstineant; salutem nostram siquidem vt quibuscunque possimus medijs certissime operemur, vtile admodum est, sicut cum Indulgentijs pœnitentias quoque sacramentales exequi ac perficere, vt quod vna nō succedit altera obtineamus via, accedit quod lucrifaciendo Indulgentiam simulque adimplendo opera satisfactoria nobis iniuncta à Sacerdote duobus titulis pęnas peccatis debitas redimimus nempe operibus illis satisfactorijs, & indulgentijs, sicque accumulando iura iuribus maiorem remissionis illarum possumus habere certitudinem.

Tertia propositio minores, & quotidianæ pœnitentiæ modo à Sacerdotibus imponi solitæ, non condonātur per Iubilæi Indulgētiam, sed adhuc obligant, & impleri debent à pœnitentibus hæc conclusio est directè contra primam sententiam supra allatam.

Probatur primo ex communi sensu omnium fidelium, qui ita sentiunt & putant se teneri ad aliquam pœnitentiam iniunctam, non obstante quacunque Indulgentia. Accedit & Ecclesiæ praxis, Summi enim Pontifices in suis bullis ordinariæ præcipiunt vi confessarij pœnitentias salutares iniungant, frustra autem, istud iuberent, si ipsæ possent à pœnitente has indulgētias lucrifacente omitti & non adimpleri.

Secundo pœnitentia quam imponit Sacerdos, etsi non sit pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ, est tamen pars integrans de iure diuino omnino necessaria, spectansque ad aliquam perfectionem Sacramenti, vt communiter docent Theologi ad tertiam partem D. Thomæ agendo de satisfactione Sacramentali; Igitur data quacunque Indulgentia etiam iubilari, ac plenissima ne Sacramentū pœnitentiæ imperfectum, & veluti mutilum reddatur, semper manet obligatio pœnitenti adimplendi pœnitentiam impositam totaliter si sit mediocris, si vero maior aliqua saltem ex parte iuxta authoritatem confessarij, vel iuxta propriam istius pœnitentis sē-

tentiam

tentiam mature, & absque vlla sui adulatione apud se habitam, supplendo residuum cum lucrifactiuæ Iubilæi, aut alterius Indulgentiæ plenariæ adimpletione.

Tertio si per Indulgentiæ consecutionem liberaretur quis ab obligatione adimplendi pœnitentiam in confessione iniunctam, posset ille talis per totam vitam detrectare pœnitentias confugiendo ad Indulgentias præsertim plenarias, quæ quidem sunt in promptu varijs in locis omnibus diebus totius anni, vt patet, hoc autem videtur esse valde absurdum, si quidem ex communi Theologorum consensu, sicut Sacerdos tenetur aliquam pro peccatis satisfactionem iniungere, ita & pœnitens illam acceptare maxime si sit mediocris, non negamus tamen posse aliquando Sacerdotem imponere pœnitenti ipsas Indulgentias siue melius, opera in illis adimplenda pro pœnitentia salutari vt iam supra adnotauimus.

Ferendo modo iudicium de vtraque sententia, licet prima sit probabilis; Secunda tamen quam tribus supradictis explicui conclusionibus videtur esse probabilior, ac in praxi tutior; vnde ad fundamentum primæ sententię, quando dicit, non remanet amplius debitum & reatus pœnę, sed tollitur potius per Indulgentiæ plenariæ consecutionem, atqui impositio & iniunctio alicuius pœnæ non pertinet ad integritatem Sacramenti, nisi quatenus supponitur homo illius pœnę reus.

Respondetur huiusmodi rationem esse inefficacem, alias sequeretur eodemque modo ipsam confessionem sacramentalem posse aliquando remitti, ijs qui semel contriti fuerint, ita vt scilicet non teneantur confiteri. Si quidem posset dici confessionem non esse necessariam nisi in ordine ad absolutionem & remissionem peccati, ergo sublato semel ac condonato peccato per actum contritionis sequitur, nihil iam esse opus absolutione, si quid valeat ratio facta pro prima sententia.

Sicut ergo confessionis lex idcirco nos obligat primo, quia non constat nobis certo euidenter an simus contriti. Ita nec constare nobis an oblatam Indulgentiam re vera adepti fuerimus, non debet magis in illo dubio relaxari nobis pœna sacramentalis quam ipsa confessio; Sed tenemur adhuc adimplere opera satisfactoria nobis à Sacerdote iniuncta, quibus à reatu pœnæ possimus nos aliqua ex parte liberare.

Secundo, in tantummodo post contritionis actum, necessaria est adhuc confessio, in quantum ordinatione diuina actui contritio-

tio-

tionis annectitur semper votum confessionis data occasione, sed etiam confessioni eodem iure diuino annectitur præceptum imponendi aliquam pœnam eamque acceptandi non igitut Ecclesia hic simpliciter dispensare potest per Indulgentiarum concessionem sicut nec lex ferri ab ea vt qui contriti fuerint, non accedant ad Sacramentum pœnitentiæ. Quæ omnia sunt maxime vera respectu peccatorum mortalium quæ sunt materia necessaria confessionis,& principalis respectu satisfactionis.

CAPVT IV.

Quomodo Indulgentiæ Iubilæi dicantur obtinere effectum suum ex opere operato.

MVltis modis intelligi potest Iubilæi Indulgentias suum ex opere operato valorem aut effectum habere. Primo quatenus infallibiliter illum obtinet ex certa lege & promissione Dei, sicut enim Sacramenta, & sacrificium missę dicuntur agere infallibiliter ex opere operato propter institutionem, & promissionem Christi, ita vt non pendeat effectus ex deuotione & dispositione operantis, siue ministri, siue recipientis Sacramentum, sed satis sit ei obicem nou ponere; Ita similiter cum habeamus perspicuam Christi promissionem, seu pactum de Indulgentijs, idque iureiurando firmatum quo de illius certitudine nullus dubitet Matth. 16. & 7. Amen amen dico vobis quæcunque solueritis soluta erunt; Quibus verbis confertur potestas vniuersalis pastoribus Ecclesiæ ad soluenda quælibet peccata, & quascunque eorum pœnas, quæ sunt impedimenta beatitudinis consequendæ; neque solum ratione viuentium, vt iam supra ostendimus Controuersia 3. & 7. sed etiam ratione defunctorum, vt probabimus statim Controuersia subsequenti Dicendum est Iubilæi Indulgentias sublato semel obice positisque omnibus conditionibus requisitis suum infallibiliter habere effectum ex opere operato etiam si forte qui eas concedit, fuerit in statu peccati mortalis.

Neque ad hoc requiritur vt indulgentiæ remittant physice pœnam debitam, aut quod id præstent per concursum physicum, sed sufficit certitudo, ac infallibilitas quam diximus ex pacto & institutio-

tutione Christi. Imo talis concursus physicus instrumentarius in Indulgentijs nullus proprie esse potest cum per illas non producatur gratia, aut aliqua alia realis qualitas, in anima, sicut fit per Sacramenta, sed tantum relaxatur debitum pœnæ, & reatus, qui quidem est solum ens morale nec habet physicam entitatem proprie loquendo.

Secundo dici potest Iubilæi Indulgentias ex opere operato prodesse nobis,quatenus medijs illis applicantur nobis superabundantes Christi & Sanctorum satisfactiones, ita vt ex illis tanquam ex opere ab ipsis operato, seu vt ab alijs vocatur exercito, operatum enim hic debet sumi passiue, dicantur Indulgentiæ Iubilæi valere, quod enim per illas plenissima fiat pęnarum temporalium etiam purgatorij remissio non debet refundi per se in opus suscipientis illas, sed Christi qui sufficientissimum soluit pretium pro omnium peccatorum pœnis, vnde cum omnia Christi merita, ac satisfactiones obiectiuè adhuc & in perpetuum sint permansuræ in mente diuina ad eorum valorem & efficaciam respiciens Deus per potestatem Clauium à Christo in terris relictam, medianteque Indulgentia Iubilæi exercitam à Summo Pontifice cui commissa est dispensatio thesauri Ecclesiæ in omnia, & singula Ecclesiæ militantis mēbra, tanquam per instrumentum, aut causam ministerialem dicitur remittere pœnas temporales pro peccatis iam per gratiam dimissis residuè in purgatorio soluendas.

Tertio Henriques lib.7. cap.9. §.5. vocat opus operatum in Indulgentia ipsummet effectum Indulgentię scilicet remissionem pœnę, sicut enim sacrificium Missæ respectu Christi, qui illud principaliter offert dicitur vim habere ex opere operantis, sed infallibiliter cum Deo placeat ex bonitate Christi offerentis, qui semper pro sua exauditur reuerentia, quæ semper est eadem absque vlla diminutione ac mutatione; At respectu ministri offerentis vim dicitur habere ex opere operato cum Deo placeat, etiamsi minister ex iniquitate sua ipsi displiceat, ita proportionaliter de Indulgentia ratiocinari possumus, respectu enim Christi qui principaliter pœnas remittit, valor ille seu effectus est ex opere operantis, respectu vero ministri dici potest opus operatum, quatenus non pēdet a qualitate concedentis, sed ex parte suscipientis sufficienter dispositi Indulgentia semper habet efficaciam ad remittendum pœnæ temporalis reatum.

CAPVT

CAPVT V.

Vtrum Indulgentiæ Iubilæi totiès quoties suum habeant effectum, & quando.

SEnsus difficultatis est vtrum semel iam acquisita ab aliquo Iubilæi Indulgentia possit, idem nouo aliquo commisso peccato intra eumdem Iubilæi annum iterum atque iterum illam lucrari Nauarrus in Glossa verbo deuote commentarij super bullam Gregorij XIII. in vtramque partem propositam difficultatem disputans tandem concludit partem affirmatiuam veriorem esse, ita vt quis intra eundem Iubilæi annum possit pluries illius indulgentiã comparare. Ad quod tamen non est satis vnum opus repetere ex ijs quæ iniuncta fuerint, verbi gratia vnicam Ecclesiarũ visitationẽ, sed omnia prorsus iterari debent ad Indulgentiam iterandam. Vnde apparet sacrum Iubilæum communiter ordinarie à Ciuibus Romanis Anno sancto duodecies obtineri posse, quia scilicet stationes illis præscribuntur per totos dies 30 quæ si incipiãtur à die Vigiliæ Natiuitatis Domini in quo Porta Sancta aperitur, & continuentur vsq; ad sequentis anni similem vigiliam in qua illa clauditur, oportunum spatium præstant, vt Iubilæus duodenis vicibus acquiratur. At vero à Peregrinis qui Romam veniunt potest per totum illum annum quater & vigesies suscipi, quia stationes pro Peregrinis sunt tantum dierum quindecim. Vnde quilibet Peregrinus in fine cuiuscunque decimę quintę visitationis quatuor Basilicarum præscriptarum quolibet die Iubilæi Indulgentiam lucrabitur.

Ratio autem est quia ex communi iam fidelium consuetudine quando Indulgentiæ ad certum tempus ita conceduntur, vt subsit satis temporis ad adimplendum bis, ter, aut pluries opus præscriptum in concessione tunc possunt, bis, ter, aut pluries lucrifieri, sed in anno Iubilæi possunt hi qui Romæ degunt, duodecies, Peregrini vero quater & vigesies deuote adimplere omnia in bulla Iubilæi præscripta & adiuncta, igitur poterunt toties quoties Iubilæi Indulgentiam consequi; Quod idem asserimus de Iubilæo extra Romam duobus vel tribus mensibus constante, qui enim lucrati sunt illum mense, aut hebdomada precedente possunt adhuc in subsequenti lucrifacere, ita vt si post illius acquisitionem peccatum

tum aliquod commisissent remissionem pœnę temporalis illius hac secunda, aut tertia, aut quarta vice adimplendo opus pręscriptum possent obtinere: & quamuis non peccauissent non desinerent tamen adhuc Indulgentiam plenariam acquirere, sed ipsa, cum persona lucrifaciens nullis ex suppositione pœnis temporalibus obstricta esset, in thesauro Ecclesię reconderetur.

Confirmatur ex D. Thoma in 4. dist.20. q.3. art.2. ponente differentiam inter perennem siue perpetuam & nó perpetuam indulgentiam, quod illa toties quoties, hęc vero semel acquiri possit; Indulgentię autem Iubilęi ob insignem sui pręcellentiam videntur qui parandæ Indulgentijs perpetuis; vnde sicut si per decem aut quindecim annos omnibus diebus Dominicis concessę essent Indulgentię alicui Ecclesiæ pluries certe gratia illa acquiri posset, singulis diebus Dominicis deuotè visitando huiusmodi ecclesiam, sic quoque cum indulgentia Iubilęi toto anno sacro durãte proponatur poterit ab eodem homine toties acquiri, quoties deuote persoluerit opera à bulla iniuncta.

Sed inquirit hic aliquis an liceat pro delicto futuro, vel melius pro pœna temporalis delicti futuri remittendi Indulgentiam Iubilæi accipere.

Respondeo primo certissimum esse, quod Iubilęi indulgentię concedantur à Summo Pontifice pro peccatis etiam post talem cõcessionem perpetrandis, vsque ad eam horam, qua quisque illas susceperit, similiter etiam certum est ex dictis quod comparata iam ab aliquo semel, vel bis, vel ter, Indulgentia anni sacri si ille talis de nouo peccet mortaliter possit rursus illam quarto acquirere, suique peccati plenissimam remissionem habere, at loquendo de peccatis futuris in sensu proposito, hoc est vel post annum Iubilęi perpetrandis, ac remittendis, aut etiam intra eundem annum, ita vt post commissum tale peccatum non acquiratùr de nouo indulgentia, certum est anteriorem iubilaris Indulgentię consecutionem nihil prodesse ad remissionem talis peccati futuri; sic Summa Rosella titulo de Indulgentijs cap.26.& Cordubensis quęst.27. de Indulg. affirmans huiusmodi indulgentias respicere commissa, & committenda peccata vsque ad tempus quo talis indulgentia suscipitur, non autem futura.

Quod spectat ad secundam partem difficultatis propositæ, quãdo nam siue qua in parte Anni sancti Iubilęi fructus acquiratur, facile nos ab ea expediemus, cum ex communi Theologorum cõ-

ſenſu habeatur Iubilęi indulgentiam obtineri ipſo facto ſtatim poſt vltimum viſitationum momentum, aut inſtans quodcumque ſit illud adhibitis inſuper cæteris neceſſarijs conditionibus, ſiquidem poſita vltimè diſpoſitione ſecundum Philoſophos forma introducitur, & ſecundum iuris peritos cap. *Si pro te*, de reſcriptis, L. cedere diem, ff. de verborum ſignificationibus; conditionalis diſpoſitiò ſtatim poſt impletam conditionem ſuum ſortitur effectum. & non ante.

Hinc infero primo cum Nauarro loco iam citato illum, qui in vltimo illo momento poſtremę viſitationis non eſſet in ſtatu gratię oleum ac operam perdidiſse, laborem ſcilicet visitandi & fructum indulgentię. vnde videtur maxime expedire ad reddendos homines ſui ſtatus notiores, quo ad gratiam vt in die viſitationis paulo ante vel poſt, confiteantur ſacramque Euchariſtiam ſumant.

Infero ſecundo, quod ſi ſecluſa ignorantia culpabili quo bona fide exiſtimauerit, ſe bene confeſſum, & abſolutum fuiſſe, completis triginta, vel quindecim viſitationibus pro diuerſitate perſonarum, & deinde tamen admoneatur de huiuſmodi confeſſionis inualiditate; poterit is ſiue in Vrbe ſiue extra illam exiſtat, dummodo intra ipſum Iubilęi annum defectum ſuppleat, iterum confiteri, riteq; peracta confeſſione Iubilęi fructum conſequetur; quod dictum ſolum fundatur in benignitate Summi Pontificis clementique eius voluntate, atque etiam quoniam bona fides culpam excludit.

Nihilominus Suares diſput. 52. de Indulgentijs ſect. 2. in fine negat abſolute eſſe in Eccleſia poteſtatem ad concedendam indulgentiam, quę hoc modo conferat effectum, hoc eſt, quod ſemel impeditus effectus indulgentię propter deffectum gratię, recedente fictione recuperetur ſeu conferatur ad eum modum quo de Baptiſmo, & alijs Sacramentis tractari ſolet, propter ſpecialem illorum dignitatem, aut aliquam aliam peculiarem cauſam, quę in indulgentijs locum habere non poteſt, vt optime explicat Suares loco citato, ad quem lectorem remitto.

CON-

CONTROVERSIA XI.

De subiectis, seu personis ad quas Iubilæi fructus extenduntur.

CAPVT I.

De Personis viuentibus ad quas Iubilæi fructus extenduntur.



VM subiecta, ad quæ sacri Iubilæi fructus peruenire possunt, sint duplicis generis, viuentia nimirum & mortua, prius in hoc capite de viuentibus agemus per aliquas conclusiones.

Prima propositio, Indulgentiæ Iubilæi prosunt solis viris fidelibus. est communis inter Theologos existimantes statum fidei per quam sit homo coniunctus Ecclesiæ tanquam verum eius membrum esse dispositionem habitualem indispensabilitur requisitam ad cuiuscumque indulgentię fructum percipiendum. Ratio est; quia Indulgentiarum participatio pertinet ad communionem Sanctorum qua non fruuntur, nisi qui sunt vera Ecclesiæ membra: Siquidem membrum non potest participare influxum, & communicationem aliorum membrorum nisi debito modo corpori sit vnitum; prima autem membrorum Ecclesiæ vnio, seu compaginatio fit per fidem; igitur hæc est quasi prima fundamentalis dispositio ad indulgentiæ fructus vtiliter percipiendos. Sic Hęretici, seu Apostatę, etiamsi baptizati sint nulla ratione possunt nec directe, & per modum remissionis nec per suffragij communicare Indulgentiarum fructibus.

Secunda propositio etsi Cathecumenis adultis in gratia, & charitate existentibus ante susceptionem actualem baptismi prodesse non possint Indulgentiæ Iubilæi, quę dantur per modum solutionis, seu de iniunctis, possint tamen illis applicari per modum solutionis, & suffragij. Conclusio habet duas partes, & probatur quo ad primam quia Cathecumeni non sunt propriæ subditi Ecclesiæ, vnde sicut non possunt ab eadem ligari, aut excommunicari,

ita neque ab solui atque adeo non erunt capaces indulgentiarum quæ directe per modum iudicij aut absolutionis conceduntur.

Secunda pars probatur, quamuis Cathecumeni non sint ad huc proprie in Ecclesia quoad forum externum quia baptismum aquæ non dum susceperunt, tamen sunt viua ac vera membra Christi, vnde dicuntur esse de Ecclesia merito, licet non numero, vt exponit D. Thomas in 4. distinct. 4. Igitur non debet esse maior difficultas de Indulgentijs per modum suffragij applicatis quam de ipsismet suffragijs Ecclesiasticis cum iurisdictio non videatur esse magis necessaria vno respectu, quam alio, sed Ecclesia aliquando pro Cathecumenis publice orat, vt feria 6. maioris hebdomadæ, & sabbato Sancto Paschæ, & sabbato Pentecostes, approbatque preces quæ secreto ac priuatim pro illis fiunt olim etiam in Ecclesia Orientali fiebant quotidie orationes publicæ pro ijsdem Cathecumenis vt habetur ex Liturgia Græca D. Basilij, & D. Chrysostomi nempe in ea parte missæ, quæ vocatur Cathecumenorum; quia Cathecumeni possunt ei inter esse secundum Canones Ecclesiasticos ab introitu vsque ad finem offertorij; Igitur non est cur per modum solutionis & suffragij non possint Cathecumenis vere contritis ac pœnitentibus non dum tamen baptizatis applicari ab Ecclesia, indulgentię, & satisfactiones ex thesauro, non solum dum viuunt sed etiam dum sunt in purgatorio, neque enim Ecclesia pro illis tantum orat, dum viuunt sed etiam postquam defuncti sunt, vt à purgatorij pœnis liberentur. Nec refert quod in quibusdam concilijs prohibeatur orare pro Cathecumenis absque baptismo defunctis vt in Conc. Braccarensi cap. 35. id enim intelligi debet de Cathecumenis, qui baptismum ex contemptu, aut negligentia aliqua omiserint, non vero de illis qui fuerint competentes, id est baptismum simul cum alijs publice petierint, & repentino aliquo casu ante susceptum in re baptismum mortui fuerint.

Notandum est tamen secundam hanc nostræ Conclusionis partem respectu Indulgentiæ Iubilæi positam fuisse de possibili potius quam de facto; ratio est quia huiusmodi indulgentiæ conceduntur Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis; cum igitur Cathecumeni istam conditionem adimplere nequeant, quia non sunt actu baptizati & confessi quę necessario baptismū præsuponit, recte sequitur illos de facto nō esse participes dictarum indulgentiarum Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant nec vlli prosunt nisi per agantur quæ iniuncta sunt.

Ter-

Tertia propoſitio, indulgentiæ Iubilæi, nec aliæ proſunt excommunicatis quandiu ſaltem in ſtatu peccati mortalis remanent, & quando valida eſt excōmunicatio. In hac concluſione conueniunt omnes Theologi. Nemo enim excommunicatur niſi propter peccatum mortale, ſed ipſum peccatum mortale per ſe præciſe reddit hominem ineptum & incapacem ad percipiēdas indulgentias; ergo multo magis accedente maiori excommunicatione, quæ ſit valida; Maior difficultas eſt, an ſi contingat excommunicatum per contritionem redire ad ſtatum gratiæ, non dum tamen ſit ab excommunicatione abſolutus poſſit indulgentias lucrari; Suarez diſtinct. 52. de Indulg. ſect. 2. exiſtimat talem lucrari non poſse indulgentias donec ab excommunicatione abſoluatur quia per excommunicationem & ratione ſui, & non tantum ratione ſtatus peccati mortalis quem ſolet ſupponere priuatur homo omnibus Eccleſiæ bonis, ac publicis ſuffragijs, atqui theſaurus indulgentiarum eſt commune bonum totius Eccleſiæ igitur excommunicatus quantumuis contritus nondum tamen abſolutus ſacri Iubilæi fructum conſiqui non poteſt ſaltem directe, & per modum abſolutionis. Nihilominus Nauarrus Enriquez, Benſonius quos refert & ſequitur Philippus Gamacheus diſputat de indulgentijs cap. 2. putant probabile eſse, quod excommunicatus per contritionem; Deo reconciliatus poſsit indulgentiam lucrari etiam ſi forte non fuerit abſolutus, quia non occurrit facultas, nec per ipſum ſtetit; quæ ſententia maxime eſt vera, ſi intelligatur non de participatione directa & per modum abſolutionis ſed indirecta, & per modum ſuffragij.

Quarta propoſitio, loquendo de irregularibus, ſiue ſint occulti, ſiue publici, ſunt capaces indulgentiarum, modo fuerint in ſtatu gratiæ & perficiant omnia, quæ veniali & Apoſtolico diplomate imperantur. Nec enim irregularitas ad ſecretum pœnitentiæ forum pertinet, cum plerumque pœna ſit non culpa, nec proprie eſt cenſura quæ priuet hominem participatione bonorum Eccleſiaſticorum, nec paſsiua Sacramentorum communione, nec ingreſsu Eccleſiæ; igitur non habita diſpenſatione irregularitatis, poterit quis ſacrum Iubilæi fructum percipere adimplendo ea omnia quæ in bulla fuerint iniuncta.

Similiter ſuſpēſis ſolum ab officio & beneficio cum libere poſſint viſitare Eccleſias confiteri & alia præſtare ad Iubilæi conſecutionem neceſsaria, Iubilæi fructum percipere poſsunt; Quod ſi quis ab Eccleſiæ ingreſsu ſuſpenſus eſset, poſset ſolum Eccleſias præſcri-

ptas

ptas viatate, orandi causa eo tempore, quo ibi diuina non celebrantur ex Syluestro verbo suspensio. At si suspensio esset a susceptione Sacramentorum cum inter opera in bulla Iubilæi iniuncta sic confessio, non posset Iubilæi fructus acquiri, nisi prius remoto huiusmodi suspensionis impedimento ad quod pœnitentiarij plenissimam habent facultatem.

Tandem loquendo de interdicto personali, etiam si quis ab illo non absoluatur quod tamen non est difficile Romæ obtinere in anno sancto, posset Ecclesias visitare, confiteri atque etiam a culpa absolui, priuatasque preces in illo tempore quo diuina non celebrantur, fundere, & sic Iubilæi fructum vtiliter percipere.

Quinta propositio ad lucrandam Iubilæi indulgentiam non solum requiritur interna fidei vnio & externę communicationis, sed etiam vnio charitatis, seu quod idem est status gratiæ tanquam necessaria dispositio. Vnde primo certum est indulgentiam non valere illi qui est in peccato mortali ad remissionem pœnæ temporalis debitæ ratione illius peccati in quo perseuerat vt superiori Controuersia satis probauimus.

Et quamuis putent aliqui indulgentiam valere homini existenti in peccato mortali saltem ad remissionem pœnæ tẽporalis ex peccatis iam dimissis relictæ; probabilius tamen id negant alij ex illo generali fundamento, quod homini inimico Dei, quandiu in peccato existit nulla remissio fit, neque quo ad culpam neque quò ad pœnam cum indignus sit tali remissione, & nulla sit promissio; imo neque congrua est ratio, ob quam in illo statu talis remissio Fiat. Igitur status gratię est dispositio omnino necessaria ad proprium fructum seu effectum indulgentiæ consequendum qui est remissio pœnæ temporalis.

Sexta propositio. Indulgentiæ Iubilæi sicut & aliæ quæcunquẽ omnibus omnino hominibus sunt vtiles, etiam illis qui perfectissimum vitæ genus amplectuntur. Conclusio est contra Lulbiernum in suis articulis vbi docet Indulgentias non conuenire nisi sceleratis & publicis peccatoribus, Probatur. Etsi enim indulgentia non sit opus perfectissimum in summo gradu, dicit tamen aliquam perfectionem, est enim opus non solum satisfactorium, sed etiam meritorium habita ratione adiuncti operis quod per bullam præscribitur; nihilque imperfectionis suapte natura continet, non est ergo cur viris etiam perfectissimis non sit vtilis indulgentia, maxime cum ad illam non confugiant ex aliqua ignauia, sed potius ex summa

ma quadam diligentia, & Charitate qua voluit coniungi Deó per claram eius visionem, & remouere quantum in se est, & dum per tempus licet, omnia impedimenta quæ tanti boni possessionem remorari possent; nec idcirco desinunt arduis pœnitentiæ operibus se se exercere; vt supra iam ad notauimus.

Notandum est tamen pro regularibus quod quando indulgentias exquirendo regularis obseruantia dissoluitur, tunc indulgentiæ à religiosis perquirendæ non sunt, quoniam minus bonum efficiunt, quam regularis obseruantia, per quam præmium essentiale vitæ æternæ merentur, quod præstat remissiuæ cuiuscunque pœnæ etiam purgatorij atque hoc dictum est S. Thomæ in 4. distin. 20. art. quæst. 20.

Septima prooositio, indulgentia Iubilæi ad ipsum Summum Pontificem illam concedentem se extendit. Ratio est quia non debent Prælati esse peioris conditionis quam inferiores, ergo sicut alij possunt participare fructum de thesauro Ecclesiæ beneficio Iubilæi, iti etiam ipsi Summi Pontificem illum concedentes adimplendo tamen opera in bulla iniuncta, nisi iusta commutationis causa existat, vt recte post Ricardum in 4. dist. 20. & Paludanum Ibidem adnotauit Bensonius lib. 5. de Iubil. cap. 15. dub. 12.

Modus autem huius participationis seu indulgentiæ esse potest primo si Summus Pontifex hec alteri facultatem concedendi sibi talem indulgentiam sicut enim subijcit se absolutioni sacramentali per concessionem, quam ipse Sacerdoti confert, sic etiam extra Sacramentum potest submittere se Indulgentiæ alterius cui id ipse committit.

Secundus modus esse potest, quod concessio Iubilæi directe fiat communitati Ecclesiæ, redundet vero in ipsum Pontificem tanquam in partem principalem communitatis. Tertio potest etiam Summus Pontifex ratione plenariæ potestatis quam habet in hoc negotio sibi ipsi Iubilæum concedere non tantum secundario, & simul cum tota communitate sed etiam primario vt post Nauarrũ & alios dare Suarez disput. 52. de Indulg. sect. 1. In fine.

In fine huius Capitis nihil aliud notandum occurrit nisi, quod indulgentiæ Iubilæi ita omnibus fidelibus in gratia existentibus prosunt, vt tamen multi ratione alicuius specialis status Romam sine aliqua præuia licentia Iubilęi consequendi gratia adire non possint, vt regulares sine licentia Superiori vxor sine licentia, viri & e contra, Clericus prȩsertim curam animarum habens sine licen-

licentia Episcopi; quamuis ipse Episcopus possit absque speciali dare licentia peregrinari ad Vrbem anno Iubilæi.

CAPVT II.

An Iubilæi Indulgentiæ prosint defunctis, & quomodo.

CVM tria sint mortuorum, siue defunctorum genera, alij enim sunt beati, alij damnati in inferis, alij denique in purgatorio detinentur; de duobus prioribus nulla potest esse controuersia, sunt enim iam absolute in termino, vnde satis constat Iubilæi, Indulgentias illis prodesse non posse: tantum ergo difficultas est do animabus Purgatorij.

Est primo tanquam certum statuo ex antiquissima traditione ab Ecclesia approbata Iubilæi Indulgentias sicut alias quascunque concedi, ac prodesse posse animabus in Purgatorio detentio supposita semel fide purgatorij, sic Paschalis Primus circa annum Christi octingentesimum tribuit facultatem educandi animam vnam de purgatorio his omnibus, qui Romæ in Ecclesia S. Praxedis quam ipse à fundamentis excitauit, Missam quinque diebus deuote celebrassent, sicut in antiquo marmore eiusdem Ecclesiæ sculptum legitur in Introitu Sacelli sancti Zenonis vbi etiam insigne miraculum refertur, quod cum ipse Pontifex pro anima nepotis sui celebraret, vidit eam ab omnibus pœnis solutam in Cœlum deferri. Hanc autem indulgentiam vndecim sequente Pontifices confirmarunt, vt ex Gabriele & Nauarro communiter referant Theologi. Et Leo Decimus peculiari diplomate damnauit articulos Lutheri, in quibus iste erat, non posse Indulgentias prodesse mortuis, vel etiam morituris, insuper idem Leo X. in epistola ad Cardinalem Caietanum, Apostolica auctoritate declarat thesaurum Christi, & Sanctorum communicari posse non solum viuis, sed etiam defunctis, illis quidem per modum absolutionis, his vero per modum suffragij.

Ratio eorum primo, quoniam quidquid ad valorem indulgentiarum requiritur, in his pro defunctis indulgentijs adesse potest, in concedentes nempe Pontifice authoritas, nam etiamsi non habeat

habeat iurisdictionem in defunctis, attamen habet potestatem ministerialem in thesaurum, vt possit illum aperire, eiusque opes, ac diuitias indigentibus dispensare, quod sufficit ad veras, ac validas indulgentias saltem per modum solutionis, nec requiritur iurisdictio in animas defunctorum quibus confertur indulgētiarum beneficium. Vt si aliquis nobilis Hispanus inter Turcas captiuus esset, qui non haberet facultatem seipsum redimendi, & pro solis pecunijs detineretur; posset vtique Rex Galliæ, aut alius Princeps iubere sumi ex suo fisco argentum necessarium ad illius redemptionem, tuncque hostis deberet ex iustitia, & iure gentium hominem illum reddere, talique pacto captiuum Hispanum liberaret Rex Galliæ, quamuis ex suis subditis non esset; sufficit enim ad illud pietatis opus posse pretium redemptionis soluere, habereque dominium respectu pecuniæ numeratæ, aut numerandæ, quamuis nulla sit iurisdictio ex parte personæ, quia nempe id nō fit per modum iudicij & mandati, vel absolutionis, immno nec solus Rex potest, sed etiam quicunque priuatus homo volens facere sumptus ad id necessarios; ergo etiam proportionaliter in nostro casu erit, vt virtute clauium, quæ in Indulgentiarum applicatione relucet Summus Pontifex habent poaestatem in thesaurum Ecclesiæ possitque illum aperire, ac distribuere quamuis directæ formaliter nullam habeat in animas defunctorum iurisdictionem.

Insuper reperitur conditio altera scilicet in suscipiente constat enim animas purgatorij esse, & manere in charitate, denique cernitur etiam pietas in causa, semper enim Pontifex huiusmodi Indulgentias cocedeudo iniungit opera pia à viuentibus in fauorem harum animarum peragenda, vt ad cælestem gloriam & beatitudinem celerius perueniant; quandiu ergo concurrentibus omnibus conditionibus ad indulgentiarum concessionem necessarijs iuuari poterunt illæ animæ in purgatorio degentes.

Secundo hanc fidei veritatem efficaciter probant omnia argumenta ex articulo communionis Sanctorum desumpta, quo & animæ purgatorij proculdubio continentur, sunt enim vera ecclesię membra, & vnum corpus nobiscum efficiunt, membra autem inter se communionem habere debent, ita vt si re aliqua indigeant, hęc statim ab alijs facultatem ad id habentibus præstari debeat, vnde cum animæ purgatorij sint in extrema necessitate constitutę, maximeque omnium indigeant satisfactione pro pœnis tempora-

V libus

libus quas ibi sustinent, si semel priuati homines possunt illis communicare bona sua opera, non solum in genere orationis, seu impetratiuis, vtrum etiam satisfactionis, vt colligitur ex antiqua illa consuetudine fidelium baptizandi seipsos pro mortuis 2. ad Corinhios 15. nimirum baptismo afflictionis, & pœnitentiæ, ac proinde non solum ad impetrandum, sed etiam ad satisfaciendum multo magis ecclesia poterit ijsdem animabus Christi, & Sanctorum satisfactiones per indulgentias applicare, pręsertim cum ad hanc applicationem, vt iam vidimus nulla opus sic in eas potestate iuridica, pertineatque talis applicatio ad gloriam Christi,& Sanctorum sic enim eorum merita, seu satisfactiones clarius relucent, dum non solum viuentibus, sed etiam defunctis realiter prodesse æstimantur.

Itaque licet Christus re vera non dederit Ecclesiæ potestatem illum apperiendi, ac dispensandi thesaurum Ecclesiasticum eodem modo in gratiam defunctorum, ac viuorum nec per modum iudicij tamen dedit simpliciter saltem per modum suffragij, vt explicabitur in secunda huius capitis parte: videturque talis institutio sufficienter colligi ex verbis Christi Matth. 16. & 28. Vbi Petro nulla penitus restrictione, seu exceptione adhibita, claues regni Cęlorum promittuntur, per has enim intelligitur potestas remouendi, quæcunque impedimenta, ingressum regni Cęlorum pręcludentia, vel retardantia; atqui pœnæ, quibus animæ in purgatorio obligantur, sunt impedimenta regni Cęlorum, saltem retardatiua, vt per se patet, igitur per claues Petri, virtute Indulgentiarum poterunt remoueri, atque redimi, & si non directe, ac iuridice saltem indirecte secundario per modum suffragij, & solutionis, non enim sunt simpliciter in termino animę purgatorij, sed quodammodo adhuc in via, & in medio quodam statu donec reuera in Cęlum peruenerint.

Dices per verba statim ex D. Matth. allata potestatem in viuentes super terram duntaxat concedi, vt docet Gelasius cap. legatur 24 quæst. 2. vnde non est cur Doctores Catholici illa extendant ad animas subtus terram in Purgatorio existentes.

Respondetur primo Gelasium Pontificem id solum affirmare quando eadem verba ligandi, & soluendi stricte accipiantur, per modum iudicij, & iurisdictionis; sic enim ecclesia viuentes super terram duntaxat pro ratione meritorum, aut demeritorum soluere, aut ligare potest; cæterum si huiusmodi verba sumantur simpliciter,

pliciter, & per modum solius suffragij, non sunt restringenda ad statum quarundam animarum, vtpote in hac vita degentium, sed extendenda ad omnes, quæ adhuc sunt in via ad Cęlum, vt animę in purgatorio existentes, quarum cum Deus non minorem curam gerat, quam earum, quæ adhuc in hac vita in suis corporibus degunt, non est cur denegetur Ecclesiæ potestas à Christo concessa in illis iuuandis beneficio Indulgentiarum. Itaque sumendo verba ligandi atque soluendi strictè, hoc est iuridice, & per modum sententiæ, sic etiam particula super terram debet sumi stricte pro solis viuentibus in illa visibiliter existentibus. At si sumantur simpliciter per modum suffragij & solutionis, sic etiam particula super terram debet intelligi simpliciter, pro illo omni, quod est extra cęlum, est tamen in via ad illud siue in terra, siue subtus terram quale est purgatorium, quod iuxta communem Theologorum sententiam dicitur esse sub terra.

Secundo respondent alij, vt Michael Medina, Gregorius de Valentia, Suares, & Bensonius lib. 2. de Iubilęo cap. 42. hęc verba super terram referri posse non solum ad eos, qui soluuntur, & ligantur, ita vt ipsi debeant esse, & degere in terra, sed etiam ad Summum Pontificem, qui soluit, & ligat, ita vt Summus Pontifex habeat facultatem illam, quandiu fuerit super terram post mortem vero amplius non retineat, & sit sensus. Quidquid tu Petre super terram existens solueris, ego existens in Cęlo similiter soluam, quocunque loco degat ille, siue in terra, siue subtus terram vtpote in purgatorio. Cui interpretationi fauet, quod particulę super terram videntur posse referri ad illud ipsum ad quod referuntur sequentes particulæ in Cęlo atq; particulę in cęloproprie referuntur ad Deū, qui solui & ligat, non autem ad eos solos, qui soluuntur & ligātur, ergo etiam & illę particulę super terram debent reduci ad eum, qui in terris soluit & ligat. Vnde etiam Innocentius III. extrauag. de sententia excommunicationis ait non obstāte particula illa super terram posse Ecclesiam in quibusdam. Casibus, mortuose ligar & soluere, non quidem iuridice, sed declaratiuè, Ecclesia enim nullum proprie excommunicat, aut absoluit post mortem, sed tāntum declarat eum in hac vita propter contumaciam. in aliquo peccato V.G. heresi incurrisse excommunicationem eoque nomine prohibet, ne pro eo oretur, Missę celebrentur, aut in loco sacro habeat sepulturam; sicut è contra si contingat aliquem per errorem fuisse ab Ecclesia excommunicatum, cuius post mortem

cte, quæ quidem voces eundem omnino sensum habent, ac a nobis allatę.

Colligitur primo ex communi praxi, qua Summi Pontifices in omnibus Indulgentijs pro defunctis concessis solent semper addere se eas per modum suffragij conferre: hæc enim loquendi formula satis significat se aliter nempe per modum iuridicæ absolutionis concedere non posse. Vnde etiam Gabriel in Canonem Missę l. 57. testatur se hac de revidisse decretum Sixti IV. vt indulgentiæ aliter non prosint defunctis quam per modum suffragij.

Ratio autem est, quia licet animæ in purgatorio existentes sint improprie, & secundum quid adhuc viatrices, quoad satisfactionem scilicet quia adhuc satisfaciunt iustitiæ diuinæ pro peccatis præteritis, nec clara Dei visione adhuc perfruuntur, vnde nec sunt proprie simpliciter in termino; tamen ex alia parte cum non degant amplius in hac vita, nec in suis corporibus viuant, ne possint amplius de nouo mereri, aut demereri, vere sunt in termino respectu præsentis vitæ: Igitur Pontifex non potest in eas exercere potestatem iuridicam, sed tantum amicabilem, quæ nempe est per modum suffragij, seu auxilij, quo amicos absentes, & opera nostra egentes iuuare solemus. Siquidem non quilibet Viatores sunt de foro, aut iurisdictione Ecclesię, sed ij tantum qui sunt in corpore, & in statu visibili sicut Ecclesia ipsa est visibilis quique sunt veri, ac proprie dicti homines, quod de animabus separatis dici non potest, cum nec sint visibiles neque etiam veri homines, sed solum naturæ humanæ partes.

Nec refert quod peccata ab illis animabus commissa verè perpetrata fuerint super terram in pręsentis vitæ cursu. Etsi enim iure ciuili delinquentes soleant forum illic accipere vbi deliquerunt; tamen eo ipso quid animę defunctorum sunt extra statum huius vitæ & in Purgatorio tanquam in Dei Carcere in quem ipse Pontifex ius non habet detinentur, causę illarum ad solius Dei tribunal pertinent, quod exemplo familiari proregis, aut alterius Iudicis subordinati declarari potest; Quamuis enim prorex, quatenus Regis personam refert, possit quamlibet causam dirimere, si tamen ad regem semel ipsa deducta sit, non potest amplius de ea cognoscere minusque iudicium ferre; sic, cum animę purgatorij per mortem corporalem ad Forum, & Carcerem ipsius Dei deductæ sint, non poterunt ab alio quã à Deo iuridice liberari, & absolui; Summo Pontifice tantummodo illis per Indulgentias, &

præ-

extra omnem iurisdictionem, respectu personarum, quamuis non respectu thesauri illis per indulgentias applicandi, excludetur solutio, quæ per priuatum suffragium fieri potest.

Secunda sententia est Hostiensis & Calderini in capite nostro de Pœniten. & remiss. qui dicunt Indulgentiam defunctis per modum suffragij concessam, nihil aliud esse quam suffragium ipsius boni operis, quod præscribitur in collatione indulgentiæ applicatum defunctis; ita vt secundum illos authores, indulgentia ex se nihil prosit defunctis sed tantum ex vi suffragij, nempe, boni operis in indulgentia contenti, & in gratiam illorum facti; alias inquiunt, suffragium indulgentiæ plus valere quam suffragium boni operis, quod videtur inconueniens. Sed hęc etiam sententia est falsa, siquidem Ecclesia concedendo pro mortuis indulgentias vere deciperet fideles; omnes enim existimant ex vi Indulgentię remissionem acquiri defunctis: & formulæ, quibus Ecclesia in illis concedendis vtitur, id aperte indicant dum decem vel centum annorum, vel aliquando pro illis plenaria confertur Indulgentia, quod autem dicitur inconueniens esse, suffragium indulgentię plus valere, quam suffragium boni operis, falsum est, si vis satisfaciendi attendatur satisfactiones enim Christi, quæ per indulgentias principaliter applicantur maiorem vim expiandi peccata habent quam quodlibet aliorum opus bonum.

Tertio Gabriel lect. 37. in Can. putat Indulgentias prodesse defunctis per modum suffragij, quia prosunt mediantibus suffragijs & operibus viuorum, nec Summus Pontifex concedit defunctis Indulgentias quin pręscribat simul & imperet aliquod pium opus à viuentibus adimplendum; sed hęc explicatio iterum deficit primo quia licet de facto, & secundum communem iam vsum in concessione Indulgentiarum pro defunctis semper pia quędam opera à viuentibus peragenda prescribantur, tamen multi doctores cum Nauarro notab. 22. num. 33. probabiliter putant indulgentias pro mortuis sine vllo penitus opere viuentium concedi posse; quatenus præcise propter bona opera, quę defunctus in hac vita exercuit satisfactiones Christi, & Sanctorum possunt optime illi applicari: pręsertim cum opera huius defuncti in acceptatione diuina semper maneant, & respectu Dei, cui nihil est pręteritum, aut futurum præsentia merito dici possint; Secundo si indulgentias concedi ac prodesse per modum suffragij, esset illas concedi mediante bono opere viuorum præcise, sequeretur quascunque indulgentias

quę

quę viuis conceduntur semper per modum suffragij concedi: quia semper mediantibus quibusdam bonis operibus conceduntur adde quod Indulgentię non conceduntur nec dicuntur solum prodesse defunctis per suffragia & auxilium alterius nempe per bonum illius opus. Sed potius per modum suffragij vt patet ex omnibus Summorum Pontificum bullis; atque ista duo valde differunt per suffragia & per modum suffragij.

Quarto quando indulgentiæ dicuntur defunctis concedi per modum suffragij, non ita dicuntur, quasi præcise per modum orationis concedantur vt possent aliqui opinari; cum enim oratio, præsertim vbi pro altero funditur, non semper exaudiatur vt expresse docet D. Augustinus tractatu 102. in Ioannem, exaudiuntur omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis vel inimicis, vel quibuslibet alijs, quia non vtcumque dictum est dabit, sed dabit vobis; Sequeretur ex hac explicatione indulgentias pro fidelibus defunctis concessas infallibiliter illis nō prodesse concurrentibus etiam omnibus conditionibus ad illas necessario requisitis, quod tamen absurdissimum esse infra probabimus.

Igitur pro resolutione difficultatis veraque intelligentia sensus horum verborum per modum suffragij notandum est primo ex cōmuni sanctorum patrum consensu maxime Chrisostomi homil. 41. in 1. ad Corinth. August. sermone 34. de verbis Apostoli, suffragiorum quæ in gratiam mortuorum fiunt tria esse genera scilicet sacrosanctum sacrificium Missæ, orationes, & opera pœnalia vt ieiunium peregrinationes & similia.

Secundo notandum est ex Caietano opusculo 16. quæst. 5. defunctos huiusmodi viuorum suffragijs tripliciter iuuari posse, primo per modum meriti de congruo, quatenus ipsi viuentes vel aliqua, vel etiam omnia sua bona opera referre possunt ad eos subleuandos: Congruum quippe est Deum pro innata sibi benignitate, hæc opera in vtilitatem defunctorum relata acceptare, vt cum eis misericordijs agatur a domino vt loquitur D. Augustinus loco statim citato, quam eorum peccata meruerunt secundo per modum impetrationis, qui quidem potissimum relucet in orationibus quæ pro defunctis fiunt, hæ enim per se ad nihil aliud quam ad impetrandum referri dicuntur; tertiò per modum satisfactionis quatenus afflictiones & pœnitentiæ pro ipsis defunctis voluntarie a viuentibus suscipiuntur, vt illis prosint & à Deo applicentur. Et

adhuc

adhunc tertium modum tertiumque suffragiorum pro mortuis genus reducuntur Indulgentiæ, quæ plerunque à summis Pontificibus in eorum fauorem conceduntur, ita vt illæ non faciant proprie quartum genus suffragiorum, cum Indulgentiæ pro defunctis nihil aliud sint, quam aliená Christi Sanctorum, & aliorum fidelium satisfactiones istis applicatæ, seu quod eodem recidit Deo pro illis oblatæ, vt à pœnis purgatorij liberentur.

Itaque Indulgentiæ pro defunctis dicuntur concedi per modum suffragij dupliciter, primo veluti negatiue quia non iure dice, nec per modum absolutionis, inde cum non restet alius modus nisi solutio, compensatio subsidium, & auxilium, hoc modo dicuntur concedi per modum suffragij, vel eleemosynæ, neque enim necessaria est iudicialis potestas ad ferendum alteri auxilium, vel dandam alteri eleemosynam. Quare licet Indulgentia per modum suffragij non sit ita propria defunctorum quin etiam locum in viuentibus habere possit differentia tamen est quod in animabus defunctorum sola Indulgentia per modum suffragij locum tenet, in viuentibus autem vtraque, potest enim viuenti immediate, & directe conferri Indulgentia, quod fit per absolutionem aliquando vero conceditur vni, vt possit alteri applicare Indulgentiam si velit, & tunc respectu alterius Indulgentia illa est per modum suffragij, vt recte aduertit Suares disput. 53. sect. 3. n. 7.

Secundo dicuntur Indulgentię dari defunctis per modum suffragij, quia istæ satisfactioues Christi & Sanctorum applicantur illis tanquam suffragium, seu bonum opus quo defunctis possumus auxiliari, atque suffragari. Eo enim ipso quo tales indulgentiæ non tribuuntur ipsis directè & immediatè, sed potius indirectè, ac mediate per homines viuentes, quibus conceditur, vt pro defunctis illas obtineant, ijsque applicent si velint quemadmodum & possent suas satisfactiones priuatas illis communicare, recte dicuntur esse per modum suffragij; quia sicut priuatus homo ieiunans, orans, faciens eleemosynam pro defunctis, dicitur ijs opem ferre, ac pro illis offerre suffragium; ita vbi Summus Pontifex concedit viuentibus facultatem consequendi Indulgentias pro defunctis, tunc qui inter viuos dant operam illis indulgentijs, studentque eas pro defunctis suo labore comparare, merito dicuntur id facere per modum suffragij, cum etiam offerre pro anima purgatorij satisfactionem iam viuentibus quasi donatam ex communi thesauro sit etiam suffragium quoddam.

Sic vtraque Indulgentia per modum suffragij, & per modum absolutionis est vera ac propria Indulgentia atque adeo si cętera sint paria non differunt, vel in quantitate effectus, vel in eius certitudine, aut infallibilitate, sed in modo causandi moraliter illum effectum. Nam quando Indulgentia est per modum absolutionis, qui eam concedit proxime, & immediate remittit pœnam tanquam minister Dei, & iudex locum eius tenens, quando vero solum est per modum suffragij concedens non proprie relaxat pœnam defunctis, sed solum improprie, & ex consequenti quatenus scilicet facit, & præscribit aliquid ob quod deus eam relaxat, continet enim vt supponimus ęquiualentem solutionem ad quam veluti in genere causæ formalis sequitur expulsio pœnæ, seu reatus eius, quod sufficit ad rationem Indulgentiæ, supposito quod talis solutio fiat ex communi thesauro Ecclesiæ ab habente supremam in eum potestatem, tollaturque per illam impedimentum ingrediendi regnum Cœlorum.

CAPVT IV.

Exponitur quomodo Indulgentiæ per modum suffragij defunctis applicatæ, non solum illis ex misericordia, sed etiam ex iustitia prosint.

CAietanus opusculo 17. & Cordubensis quæst. 15. de Indulgentijs, docent Indulgentias, defunctis tantum ex misericordia diuina, & ex congruo prodesse, non autem ex iustitia; quod ipsum nomen suffragij signare, ac præ se ferre videtur, cum nihil aliud quam benignitatem, ac liberalitatem misericordiæ iudicet, sicut per oppositum, vox absolutionis, atq; adeo indulgentia per modum absolutionis concessa præ se fert efficaciam Iustitiæ.

Nihilominus opposita sententia Dominici Soto in 4. distinct. 21. Nauarri, Suares, & aliorum est longe probabilior. Etsi enim nomen absolutionis magis prę se ferat actionem iustitiæ, quam nomen suffragij cum vox absolutionis difinite significet actum iudiciorum requirentem iurisdictionem in persona; vox vero suffragij sit communior, attamen ratio suffragij non excludit rationem iustitiæ, quia, licet respectu personæ in cuius fauorem conceditur sit

opus

opus misericordiæ, tamen respectu alterius cui fit compensatio vel solutio potest habere rationem iustitiæ, & hæc sine dubio fuit opinio Sancti Thomæ in 4.dis.45.q.2.art.3. vbi supposita forma Indulgentiæ sufficiente, ita dicit prodesse Indulgentiam defuncto, sicut viuo, hoc est infallibiliter, & ex iustitia.

Itaque assero Iubilæi Indulgentiam per modum suffragij ad defunctos extensam non solum peruenire ad illos per viam misericordiæ veluti præsuppositiue, sed etiam formaliter per viam iustitiæ. Verum est quod in Indulgentijs per modum absolutionis viuentibus concessis non solum intercedit ratio iustitiæ commutatiuæ, cũ talis absolutio non fiat sine æquali solutione ex satisfactionibus thesauri applicatis per ipsammet solutionem, sed etiã iustitia quasi vindicatiua ex parte absoluentis; nam sicut ad illum spectat punire, ita & iudicialiter absoluere. At in Indulgentijs per modum suffragij solum interuenit iustitia per modum cuiusdam æquiualentis commutationis fundatæ in pacto & promissione diuina.

Assertio sic explicata probatur vnica ratione fundamentali sic in formam redacta. Illic debet interuenire ratio iustitiæ commutatiuę, vbi reperiuntur omnes conditiones ad illam requisitæ, sed in Indulgentijs per modum suffragij fidelibus defunctis collatis reperiuntur omnes huiusmodi conditiones, Igitur non est cur denegemus illis rationem iustitiæ, quodque suum effectum infallibiliter non habeant, claue autem non errante, & positis ponendis. Maior huius argumenti est certa, minor ergo in qua est difficultas probatur asserendo duas principaliores conditiones iustitię commutatiuę quæ ad amussim conueniunt Indulgentijs pro defunctis.

Prima est vt id quod applicatur per illas in compensationem & remissionem pœnarum purgatorij sit quid æquiualens, sed satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ in solutionem huiusmodi pœnarum exhibentur Deo, non solum habent æqualitatem cum illis, sed eas in infinitum excedunt igitur ex condigno infallibiliter & ex iustitia poterunt animas purgatorij quibus applicantur liberare; alioqui neque in Indulgentia pro viuis oblata esset hæc æqualitas, seu æquiualentia inter pœnam oblatam & remissam, cum etiam viuis remittatur principaliter pœna purgatorij, quę eiusdem rationis & grauitatis est, siue inchoata iam sit siue omnino futura.

Altera conditio ad satisfactionem de condigno seu ex iustitia indispensabiliter requisita, est lex diuina, seu pactum quod in sacris litteris extet acceptandi vnam pœnam pro alia respectu defuncto-

rum atqui solutionis & liberationis talium pœnarum temporalium datur lex expressa seu pactum diuinum contentum in illis verbis Matth. 16. & 18. Quodcunque solueris &c. vbi iam explicatum est, igitur quamuis posset Deus simpliciter non acceptare Christi satisfactiones per Ecclesiam oblatas ad liberationem defunctorum, tamen hypoteticè in pręsenti rerum statu ad id obligatur ex vi pacti, idque facere infallibiliter, positis ponendis, quia ita ipse voluit, ita instituit, vt patet etiam ex articulo cōmunionis Sanctorum quo & animæ purgatorij proculdubio comprehenduntur, vnde formaliter loquendo Indulgentiæ pro defunctis per modum suffragij concessæ includunt rationem iustitiæ, præsuppositiue autem solum vt dixi rationem misericordiæ, quia etsi supposito diuino pacto & æquiualentis solutionis oblatione per Indulgentias a Pontifice concessas liberentur, atq; à Deo in eorum liberatione diuina iustitia formaliter intercedat, non desinit tamen etiam intercedere misericordia, qua Deus sibi legem voluntarie imposuit, ad ipsas animas intuitu talium suffragiorum & Indulgentiarum liberandas: Ideoq; notant optime doctores meritum de condigno, quamuis ex iustitia pręmium postulet, semper tamen præsupponere Dei misericordiam qua ad tale pręmium retribuendum sponte & libere astringere se voluit, sicque omnia opera Domini, misericordia & veritas, Iustitiaque & pax se osculari dicuntur. Debentque intelligi variæ historię fide dignę à Cardinali Bellarmino relatæ quibus animæ defunctorum, suffragijs viuentium liberatæ reuelarunt, se ex misericordia & liberalitate Dei istud beneficium esse consecutas. Quamuis etiam huiusmodi relationes possint facile intelligi non de applicatione thesauri in Indulgentijs per modum alicuius deprecationis, & impetrationis, quando quilibet fidelis posset Deum orare & propter merita Christi & Sanctorum animam ex purgatorio misericorditer liberaret, quæ suffragia secundum opinionem probabilem multorum doctorum non habent tantam efficaciam vt infallibiliter acceptentur, licet alij non minus probabiliter oppositum teneant.

Verum contra huc vsque dicta, vnum solum alicuius momenti potest obijci ex differentia inter hominem viuum & mortuum in purgatorio existentem, quod quandiu homo in hoc sæculo viuit, licet aliquando sit reus pœnarum purgatorij, nondum tamen in eum est prolata vltima sententia, sed est veluti suspensa causa, & ideo si prius in hoc sæculo proferatur sententia absolutionis, quam à Deo

pro-

proferatur in futuro, illa est efficax diciturque liberare hominem ex iustitia ab illo debito; At vero postquam semel vltima sententia prolata est in termino viæ, iam non potest habere locum actio iustitię cum illa fuerit sententia definitiua & à supremo Iudice; Igitur solum superest locus misericordiæ, liberaliq; Dei acceptationi.

Respondetur ad hoc argumentum sententiam tantam de purgatorij pœna nunquam esse ita absolutam quin includat illam conditionem, vt anima patiatur donec soluat vsque ad vltimum quadrantem, quę solutio cum possit fieri tam per propriam quam per ipsammet Christi satisfactionem; Si quidē satisfactio alia est Christi, alia peccatoris, nec vnquam fit remissio pœnæ, nisi per satisfactionem vel Christi vel peccatoris stante semel pacto diuino de satisfactione Christi acceptanda, non solum pro viuis, sed etiam pro defunctis, non potest non illam acceptare Deus qui pronior est ad miserendum, quam ad vlciscendum, statim ac Ecclesia mediantibus Indulgentijs illam offert in compensationem & æqualitatem pro pænis temporalibus ipsarum animarum in purgatorio existentium. Quibus si dicitur aliquando per misericordiam pœnas remitti, misericordia debet intelligi sic, quia satisfactio Christi applicatur illi, sicut enim si Iudex pro reo debenti centum aureos solueret æqualem summam, & liberaret a debito faceret iustam misericordiam, ita est de remissione pœnę quæ fit beneficio Indulgentiarum, non solum respectu defunctorum, sed etiam respectu viuentium.

CAPVT V.

De conditionibus requisitis, vt Iubilæi Indulgentiæ fructuose ad animas purgatorij extendantur.

EAdem penitus conditiones, quæ pro viuentibus requiruntur, vt Indulgentiæ Iubilæi suum in illis obtineant effectum, sunt etiam necessariæ pro defunctis.

Primum enim requiritur in causa pietas propter rationes quas in Controuersia octaua attulimus. Secundo obedientia in opere præscripto: vt scilicet qui suscipit pro defunctis Indulgentias opus iniunctum in bulla Pontificis fideliter adimpleat; cum Indulgentiæ

tiæ primario & per se non conferantur defunctis, sed tantum secundario & ratione viuentium qui opera præscripta possunt & debent exequi, vel melius ipsis defunctis mediate solum conferri dicantur nempe mediantibus operibus in bulla impositis quæ à viuentibus & non à defunctis, vt satis patet perficiantur, Tertio requiritur in suscipiente gratia, quam certum est in animabus purgatorij reperiri, alias enim non essent in purgatorio, sed in Inferno. Controuersia solum est, an viuens qui opus in bulla pręscriptum pro ipsis defunctis perficit, etiã debeat esse in statu gratię. Negât Nauarrus notab 22. & Cordub. q. 22. ex hoc quod Indulgentia nõ causatur ab illo opere, quod facit peccator, sed à satisfactione Christi & Sanctorũ applicata per Ecclesiam, ita vt opus præscriptũ sit tantũ conditio sine qua talis Indulgentia alteri non applicaretur, ideoq; non debet attendi status illius qui adimplet conditionem sed tantum status recipientis ipsam indulgentiam, ita vt si ille sit in gratia Indulgentiam consequi non desinat etiam si ille qui facit opus præscriptum sit in statu peccati. Nec est simile de lucrante sibi ipsi indulgentiam, nam in eo requiritur status gratię, non formaliter quia operans est sed quia recipiens est indulgentię effectum, vnde necessario requiritur, quod opus pręscriptum si non ex omni saltem in vltima sui parte fieri debeat in gratia, nam cum tunc applicetur de facto indulgentia, debet homo, cui de facto applicatur esse in gratia, quę sententia est valde probabilis. Contraria nihilominus sententia quam sequitur Andreas du Vallius tractatu de Indulgentijs art. 13. non est minus probabilis, nimirum requiri vt ille qui pro altero perficit opus iniunctum sit in gratia, non minus quam alter pro quo tale opus perficit, Ratio est quia licet opus illud iniunctum sit tantum conditio sine qua non applicaretur satisfactio Christi & Sanctorum, nihilominus ipsa conditio & persona eam adimplens debet esse Deo accepta, si enim illa exosa sit, ab opere illius potius se auerteret, quam conuerteret, videtur ergo ex hoc capite requiri gratia etiam in eo, qui pro altero lucrifacit Indulgentias, excipit tamen ille author quando opus à Summo Pontifice pręscriptum, non esset missę celebratio, tunc enim Sacerdos, qui ageret in persona Christi, & Ecclesiæ & sacrificium illud à malo Sacerdote peractum valorem suum non amittit. Ideo in hoc casu licet celebrans esset in statu peccati, non desineret alter pro quo celebrat, si ipse sit in gratia, fructum Indulgentię concessæ reportare.

Quarta

Quarta conditio est in concedente authoritas, quam respectu defunctorum solus Summus Pontifex habet saltem iure Ecclesiastico, & ex consuetudine seu praxi Ecclesię, vt docet Sotus distinct. 44. q. 1. art. 3. cum alijs doctoribus.

Pręter quatuor iam assignatas conditiones Caietanus requirit in animabus Purgatorij ad effectum Indulgentiæ speciale meritũ de congruo, quod in hac vita præcesserit. Quod videlicet quis mereatur, vt Indulgentię post mortem illis applicatæ à Deo acceptentur. Hostiensis vero requirit in anima defuncti pro qua indulgentiam lucramur, notitiam aliquam & acceptationem beneficij impensi. Verum cum Suarez disput. 53. sect. 4. recte huiusmodi conditionem superfluam ostendat, non est quod amplius in refutandis immoremur.

Solum ex dictis infero, quod sicut Indulgentiæ pro viuis concessę tantum valent quantum sonant, ita vt suum effectum infallibiliter sortiantur, concurrentibus omnibus conditionibus ad illas necessarijs, ita etiam ratiocinari debemus de Indulgentijs pro defunctis, non solum loquendo de illis quę generatim & communiter pro animabus purgatorij conceduntur, prosuntque illis, quibus ex diuina misericordia applicantur & forte illis qui hic magis meruerunt aut ijs qui magis indigent ipsis indulgentijs, vt pote quę nullos habent pro seipsis orantes, vel certe vnaquaque anima in eo casu, aliquid illarum indulgentiarum participat; non solum inquam loquendo de animabus purgatorij, in communi, sed etiam in particulari Indulgentię specialiter illis concessę tantum valent quantũ sonant. Quod tamen debet intelligi, vt de viuis diximus Controuersia 10. c 1. secundum vniuersale iudicium & quasi speculatiuum, & à practico, seu particulari distinguitur, cum in particulari non sit certum & infallibile hanc indulgentiam semper tãtum operari quantum sonat, nec datur in nobis maior certitudo liberationis totalis alicuius animę v.g. post celebrationem sacrificij Missæ pro ipsa in altari priuilegiato, quam detur in nobis, quoties Iubilęum aliquem aut Indulgentiam plenariam lucrifecimus, nos scilicet ab omnibus omnino pœnis esse expiatos, vtrobique enim par videtur ratio; ideoque sicuti opera à nobis adimpleta in aliquo Iubilæo non impediunt nos quominus adhuc studeamus alias indulgentias consequi, sic etiam celebratio in Altari priuilegiato pro anima patris vel matris, vel alterius personę particularis non debet nos ab orando adhuc pro anima illa retardare aut remouere, etsi

enim

enim suppetat nobis aliqua probabilitas liberationis ipsius animę, hęc tamen non est certa, nec excludit omnem penitus dubitandi in contrarium suspicionem, si quidem non definijt adhuc Ecclesia Indulgentias defunctis concessas non dependere simpliciter ex bono statu, & charitate viuorum qui eas applicant, neque ex opere operantis sed ex solo opere operato sacrificij Missæ, similiter non potest nobis certo cōstare de causa an fuerit sufficiens ad plenissimā indulgentiam huic aut isti defuncto elargiendam & iudicia Dei abyssus multa, nec est hic quęstio de iure sed etiam de facto, facta autem sunt incerta propter varias circumstantias, quarum vel vna plerumque sufficit ad effectum, aliquem impediendum; ideoque anima ipsa post talem in his altaribus priuilegiatis celebrationem forte non est liberata sed aliquam solum pœnæ suę mitigationem pro aliqua parte operis prescripti adimpleta consequitur; sicque altarium priuilegiatorum erectio pro iuuandis animabus purgatorij, aut aliæ quęcunque indulgentię quantumuis Iubilares ac plenissimę per modum suffragij ad illas extensę etiam in particulari nō debent propterea imminuere in viuentibus studium ac feruorem orandi postea pro illis, ad earumdem liberationem.



CON-

CONTROVERSIA XII.

De dispositionibus requisitis ad Iubilæi fructus vtiliter à viuis percipiendis.

CAPVT I.

Vtrum propter culpam venialem impediatur quis à consequutione Indulgentiarum Iubilarium.



DISPOSITIONES ad obtinendum Iubilæi fructum necessariæ sunt in duplici differentia, aliæ habituales V.G. status fidei, & gratiæ de quibus cum iam superiori cõtrouersia capite primo egerimus superest, vt in præsenti breuiter aliquid dicamus de dispositionibus actualibus, & primo in hoc capite de dispositione veluti negatiua, hoc est, quæ habetur per carentiam omnis Culpę venialis.

Itaque dico primo; quando aliquis delectatur in acta, seu cogitatione peccati Venialis, eum non posse consequi beneficio Iubilæi remissionem, aut Indulgentiam pœnæ illius temporalis, quæ ipsi peccato in quo complacentiam actualem habet, debetur. In hac conclusione conueniunt omnes Theologi. Ratio est quia vt diximus controuersia decima cap. 2. pœna subsequitur culpam, sicut vmbra corpus, illamque perpetuo comitatur.

Et si enim pœna temporalis non ita sit annexa peccato, quin post eius remissionem actu adhuc remanere possit, vt controuersia secunda c. 1. probatum fuit culpa tamen nũquam potest esse absq; reatu & obligatione ad pœnam; igitur cum culpa Venialis, sit etiã vera culpa fit vt quãdiu quis delectatur in actu, seu cogitatione illius, tandiu pœnę ipsi debitę remissionẽ cõsequi non possit: Potest nihilo minus relaxationem pœnarum aliorũ peccatorum in quibus actualiter non delectatur, sed veram antea displicientiam habuit, beneficio Iubilæi: obtinere; cum enim hæc delectatio sit tantum

 venia-

venialis, vt supponimus atque adeo absolute non pugnet cum gratia, & alijs eiusdem gratiæ, priuilegijs, & effectibus non poterit impedire remissionem pœnarum aliorum peccatorum de quibus non solum nulla tunc delectatio concipitur, sed veram antea pœnitens habuit displicientiam ac dolorem.

Similiter dico secundo, si peccatum veniale committattur in ipso opore iniuncto, nec tamen vitiet ipsum opus, sed mere concomitanter se habeat, sicut si quis dum visitat Ecclesias, aut ieiunat, venialiter mentiatur, aut detrahat, fructum indulgentiæ Iubilæi in eo casu minime impediri, nisi respectu illius peccati quod actu committitur, quandiu dolor illius non est. In hac etiam assertione conspirant omnes doctores.

Tota ergo difficultas reducitur, an si peccatum veniale vitiet ipsum opus præscriptum, vt si quis visitet Ecclesias ex vanagloria, ita vt huiusmodi visitatio in hoc casu sit peccatum veniale tunc Iubilæi fructus impediatur, partem affirmatiuam tenent Adrianus. In quarta quæst. de Indulgentijs conclus. 4. & Nauarrus in Commentario de Indulg. quas refert ei sequitur Andreas de Vallius. Ratio est quia opus sic vitiatum videtur esse omnino ineptum, & improportionatum, ad hoc vt sit conditio requisita ad consequẽdam Indulgentiam: malum quippe non potest esse via, medium, aut dispositio ad bonum, & pium finem, cuiusmodi est indulgentiæ consecutio quia nullo modo placet Deo, à quo tamen præcipue expectanda est vtilitas talis operis in ordine ad finem Indulgentiæ, quæ sententia est valde probabilis, & conformis ijs, quæ solent prædicari; tam paucos videlicet esse, qui Iubilæi fructum cõsequantur, cum attenta fragilitate humana, tam pauci sint, qui omnia opera in illo præscripta sic vndequaque perfectè adimpleant vt nulla penitus circunstantia vitientur; notant tamen illi doctores, si pars operis iniuncti peccato veniali non inficiatur, hominem in eo casu consequi indulgentiam pro rata illa parte, quæ non est vitiata, similiter si principaliter opus imperatum fiat in finem honestum & bonum, minus autem præcipue. In finem vitiosam, vt si quis per eleemosynam præcipue ad iuuandam templi alicuius ędificationem intendat, minus vero præcipue in vanam gloriam non desinet, in eo casu consequi Indulgentiam quia ratio pręcipua magis, quam minus præcipua, semper attenditur.

Nihilominus Suares oppositum tenet disput. 52. de Indulgentijs sectione 6. quatenus existimat non requiri necessario, quod opus

opus ad Indulgentiā postulatū, sit semper honestum indiuiduum, sed sufficere opus ex genere suo bonum non exigendo omnes circumstantias necessarias ad bonitatem moralem, vnde infert prædictus author supposita potestate concedendi Indulgentiam hoc modo, quoties in ipsa concessione nihil aliud declaratur, sed tantum opus ipsum ex suo genere bonum postulatur, ita est interpretanda illa conditio. Quæ sententia est valde fauorabilis infirmitati humanæ, communique modo operandi hominum, nihilominus non videtur posse habere de facto locum in indulgentia Iubilæi, in cuius bulla præscribitur, & requiritur Ecclesias deuotè a fidelibus visitari, non videntur autem deuotè visitari, dum talis visitatio non sit ea intentione principaliter, vt fructus indulgentiæ percipiatur, sed ob vanam gloriam in ea visitatione aucupandam.

CAPVT II.

Vtrum præter statum gratiæ actualemquè intentionem formalem aut virtualem lucrandi Indulgentiam Iubilæi in suscipiente requiratur vlterius, vt sit sollicitus satisfacere pro peccatis per condignas pœnitentias, petendo eas sibi iniungi à Confessario, vel eas sponte per seipsum assumendo.

CAietanus tractatu 10. de Indulg. quæst. 1. putat hoc requiri, ita vt si quis si ita dispositus, vt habeat animum numquam exercendi opera pœnalia ad satisfaciendum pro suis peccatis, vel in hoc sit nimis negligens, non consequatur Indulgentiam, etiam si totam diligentiam in ea postulatam exhibeat, & ex parte aliarum causarum nihil desit, quod ad valorem Indulgentiæ necessarium sit; quam Caietani sententiam secuti sunt Nauarrus in Comment. de Iubilæo notab. 21. & Binsfeldius in Enchiridione tractatu de Indulg. Verum quia Caietanus addit tam graue esse posse causam Indulgentiæ, vt inde suppleri possit, vel in totum, vel ex parte defectus, prædictæ dispositionis in recipiente, dici posset talem dispositionem etiam in sententia ipsius non requiri ad consequendam

dam Iubilæi anni sancti Indulgentiam cuius tam graues tamque excellentes sunt causæ vt nullę maiores proponi possint.

Verum quidquid sit de hoc communiter doctores sentiũt talem dispositionem à Caietano requisitam esse quidem saluberrimam, nō tamen absolute necessariam. Siquidem requiritur tantum in suscipiente status gratiæ ad quem obtinendum, vel conseruandum talis sollicitudo satisfactionum non est necessaria; sed sufficit si nullum habeamus peccatum mortale & ad omnia Dei & Ecclesię præcepta adimplenda simus dispositi & parati, & ideo scitè D. Thomas in 4. distinct. 20. & quodlibet 2. art. vltimo animaduertit in forma indulgentiæ sæpe dici pœnitentibus & confessis, nunquam vero dici & satisfacientibus, quia Indulgentia conceditur loco satisfactionis maxime his vltimis temporibus quibus Indulgentiarum vsus cœpit esse frequentior in Ecclesia, quando homines cœperant esse ad pœnitentias peragendas tepidiores, sicut autem in forma Indulgentię nunquam dicitur & satisfacientibus quia Indulgentia datur loco satisfactionis, ita etiam non dicitur volentibus, aut curantibus satisfacere quia qua ratione satisfactio illa rigorosa necessaria non est, eadem nec voluntas vel sollicitudo sic satisfaciendi, quia totū hoc supplere potest Indulgentia & ad satisfactionem sacramentale Confessorisque præceptum adimplendum, sufficit penitenti præcise peragere pœnitentiam quantumuis minimam sibi à Sacerdote impositam nihilque aliud sonat particula illa & vere pœnitentibus quæ poni solet in forma Indulgentiæ.

Secundo potestas concedendi Indulgentiam ex rationabili causa est efficax & infallibiliter obtinet effectum quem intendit dispēsator & per sua verba declarat, remoto obice ex parte recipiētis eā, sed dispensator v. g. Summus Pontifex absolute concedit Iubilæi Indulgentiam facienti tale opus per quod impletur iusta causa talis Indulgentiæ, vt supponitur, igitur infallibiliter habet effectum in eo qui est in gratia, si quidem ille talis est membrum viuum ipsius Christi, atque adeo particeps cuiuslibet influxus ex eius passione promanantis, itemque est membrum viuum Ecclesiæ, & ex consequenti particeps communionis omnium fidelium qui sunt in Ecclesia, quantumuis alioqui fuerit negligens, cum sola carentia gratiæ & duratio culpæ sit obex per se impediens effectum remissionis pœnæ.

Tertio si illis qui parum aut nihil curant operibus pœnalibus satisfacere & pœnam purgatorij nihil delere prodessent Indulgentiæ, ma-

maximè quia illi tales, vt vult Caiet. qui sibi nō ferunt opem cum possint, auxilio & ope amicorum sunt indigni, sicut ex ærario publico non debet in republica succurri eis, qui cum possint de suo æs alienum soluere nolunt, quoniam per id daretur materia negligentię & delicti, sed ista Caietani ratio non est vrgens & efficax, ergo non est cur defectu illius dispositionis denegemus fidelibus in statu gratiæ constitutis, deuoteque persoluentibus omnia opera ad Indulgentiarum lucrifactionem necessaria, quod sint participes thesauri satisfactionum Christi & Sanctorum, maior huius argumenti est certa, totaque oppositæ sententiæ ratio & fundamētum, maior ergo in qua cū difficultas multipliciter probatur.

Primo, quia licet parum curent per opera propria satisfacere, non tamen dici potest, quod sibi nō ferant opem; Quandoquidem & statum gratiæ sibi procurant agendo pœnitentiam & ea opera deuote perficiunt quæ pro Indulgentijs sunt necessaria, vnde non sunt indigni qui illarum fructum percipiant.

Secundo, quia qui negligens est in subueniendo sibi ex proprijs bonis vel actionibus, quamuis negatiuè possit dici indignus, seu non dignus alieno subsidio, non tamen dici potest positiuè indignus, aut repugnans huic subsidio, sed potius dicendus est indigens illo, vnde nec contra prudentiam nec contra amicitiam erit tale subsidium illi conferre imo potius prudentię veræque amicitiæ leges id postulare & exigere videntur, non reputare indignum auxilio suo amicum qui facile iuuari potest, à seipso autem non nisi cum maxima difficultate, maximeque quando illud auxilium vel subsidium non ex necessarijs, sed superabundantibus, & inexhaustis bonis confertur, sicut contingit in dispensatione Indulgentiarum, neque per hoc fouetur negligentia aut tepiditas eorum, qui opera satisfactionis prætermittunt, sed suppletur & iuuatur eorum paupertas ac fragilitas. Quod verum est non solum in ijs qui ex fragilitate humana illa omittunt, sed etiam in ijs qui intuitu & spe Indulgentiæ opera satisfactoria negligunt. quia non est contra rationem Indulgentię velle etiam satisfactionem differre, donec per indulgentiam redimi possit, neque illa voluntas cum peccaminosa non sit, facit hominem indignum hoc beneficio. Sic inquit Suarez in dispensatione voti, aut legis non fit aliquis indignus illa, eo quod si licite valeat, cupiat leuari tali debito, & causa quæ alicui esset insufficiens respectu talis personæ propter illam voluntatem.

Exemplum autem quod sumitur de ærario publico dilui potest facile

facile, primo dicendo, posse etiam de publico ærario solui pro illo, qui non est sollicitus per seipsum, & de proprio soluere, si sit causa legitima, & hoc non vergat in aliorum pręiudicium præstetque ipse fideliter opus quod est necessarium ad ærarij publici participationem.

Secundo respondetur hoc exemplum nimis probare atque adeo nihil, probatur enim viris pijs non esse concedendam Indulgentiā, quandoquidem facile sibi possunt subuenire seque ab omnibus pęnis debitis liberare, sed tantum ijs qui sunt vitæ perditissimæ & qui ob innumeram peccatorum multitudinem tot pœnis temporalibus astringuntur vt seipsos ab ijs non possint liberare, hoc autem est absurdissimum, quia sic pietas cederet in detrimentum, paupertas verò in commodum.

Tertio tandem occurri potest negando paritatem inter Ecclesiæ thesaurum & ærarium publicum, quantum spectat ad præsens Institutum, cum enim hoc secundum distributionum & largitionum multitudine minuatur & tandem exhauriatur, recte instituitur non esse de illo omnibus indigentibus subueniendum sed ijs solum qui per se non possunt ære alieno liberari, at Ecclesiæ thesaurus cum sit infinitus tantoq; plus accrescat quanto pluribus rationabiliter distribuitur, potest optime applicari omnibus pueris ac viris Ecclesiæ membris illo indigentibus, Pręterea instituitur ærariū publicū plerumque pro necessitatibus reipublicę, vnde non est mirū quod ex illo non subueniatur omnibus omnino personis, At vero thesaurus Ecclesiæ pro solis singulorum fidelium necessitatibus est institutus; nec enim potest concipi vlla Ecclesiæ in genere necessitas præter eam qua singuli Christiani laborant communiter; Igitur possunt ex illo adiuuari, si semel sint in gratia, deuotèque persoluerint opera in bullis venialibus pręscripta.

Sed inquiret aliquis in fine huius capitis, an saltem quis peccās spe indulgentię postea consequendæ possit Iubilæum consequi. Ioannes de Anania tenet illum talem nequaquam consequi posse Iubilęi fructum, nihilominus probabilior est sententia Nauarri Comment. de indulg. notab. 34. vbi multis in vtramque partem disputatis docet contrarium, siquidem qui peccat spe venię non grauius committit peccatum, quam qui sine illa peccat, Imo minus igitur semel ac confitetur & conteritur de suo peccato, vanaque illa spe & confidentia non est cur beneficio Iubilæi aliarumque Indulgentiarum non fruatur nisi exprimatur in diplomatibus, ne spe

ſpe Iubilæi aut Indulgentię peccantes ea vti poſsint, nam ſaltem ad huiuſmodi peccata nihil ipſis proderit, vt rectè adnotauerunt Cordubenſis, & Martinus Ledeſma. Quod ſi nihil excipiatur, proderit ſemper, quod etiam procedit in diſpenſatione irregularitatum ſi circa has detur facultas, & in abſolutione votorum, & Cenſurarum.

CAPVT III.

Vtrum omnes facientes opus ad Iubilæi conſecutionem neceſſarium, inæquali tamen Charitate ac deuotione, æqualem eius fructum percipiant.

CIrca prę́ſentem difficultatem aliquid vt certum ſupponitur, aliud in dubium reuocatur, tanquam certum ſuppono, quod attento ad rationem meriti in operibus iniunctis, ſunt magis vel minus meritoria, ſecundum quod à maiori vel minori charitate proficiſcuntur formaliter vel concomitanter, iuxta diuerſitatem ſententiarum in materia de merito. Controuerſia ergo tota eſt de huiuſmodi operibus prout ex impoſitione concedentis Iubilæum ſe habent tanquam diſpoſitiones aut conditiones ad hoc, vt mediante Indulgentia dicatur nobis applicari theſaurus ſatisfactionũ Christi: Vtrum nimirum magis vel minus nobis applicetur ſecundum quod plus laboris deuotionis aut operis adiungimus.

Partem negatiuam tenere videntur S. Bonauentura in 4. diſtinct. 20. quęſt. vltima & Adrianus in materia de Indulgentijs, poteſtque fundari in extrauaganti antiquorum Bonifacij VIII. vbi in anno Iubilęi concedit Indulgentiam pleniſsimam omnibus viſitantibus Romę Apoſtolorum Templa ſubdens in fine hęc verba, vnuſquiſque autem plus merebitur & Indulgentiam efficacius conſequetur qui baſilicas ipſas amplius & deuotius frequentabit.

Oppoſita nihilominus ſententia eſt verior, nihil videlicet conferre ad maiorem effectum Indulgentię Iubilęi, quod opera in ea iniuncta maiori vel minori charitate deuotione aut labore peragãtur. Ratio eſt quia ſi maior illa deuotio qua præſcriptum opus adim-

adimpletur, conferret ad vberiorem Indulgentię Iubilęi fructum, vel est ex parte summi Pontificis ita volentis, & Indulgentiam sub tali conditione concedentis, vel esset vt ita dicam ex natura rei, quia opus iniunctum est necessarium in Indulgentia ex parte pię causę vel ex parte subiecti operantis tanquam dispositio illius, vel tádem quia opus maiori charitate ac deuotione perfectum est magis meritoriom vel satisfactorium, sed ex omnibus his Capitibus opus excellentiori Charitate adimpletum non confert ad maiorem Iubilęi fructum percipiendum, quatenus pręcise Indulgentia est, ergo omnes qui opus illud sufficienter persoluerint æqualem statim fructum & effectum illius formaliter consequentur. Dicitur formaliter quia cum Indulgentia Iubilæi sit plenissima, omnes consequuntur eam, & ita in omnibus est formaliter idem effectus, si autem in vno maior sit reatus quam in alio plus ei remittitur, sed illa inæqualitas materialis est & quasi accidentaria ex parte subiecti.

Maior huius argumenti videtur esse certa siquidem afferuntur in ea omnia capita ex quibus tale opus conducere posset, ad meliorem illum effectum ab opposita sententia intentum minor ergo in qua est difficultas probatur quoad primam partem.

Etsi enim quando expresse in bulla Pontificia maior Indulgentia conceditur ac promittitur his, qui plus laborauerint fit clarum & certum inæqualitatem operis conferre ad inæqualitatem effectus, non tamen adhuc respectu eiusdem concessionis, sed respectu diuersarum quia tunc sunt veluti diuersæ Indulgentiæ, nihilominus quando in forma concessionis Indulgentiæ eadem fit concessio omnibus, tunc omnes facientes opus ad Indulgentiam requisitum statim & æqualiter eius fructum obtinent, siquidem voluntas concedentis indulgentiam sub conditione talis operis licet, conditionata sit, tamen expleta conditione transit in absolutam, estque omnino efficax, cum ex sufficienti potestate procedat, atque adeo totum operatur quod per talem concessionem promissum seu declaratum est. Sed in bulla Iubilæi vt patet eadem fit concessio simpliciter omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam Lateranensem, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon S. Mariæ Maioris de Vrbe Basilicas semel saltem in die per triginta continuos aut interpellatos dies si Romani, vel Incolæ Vrbis, si vero peregrini aut alias externi fuerint per quindecim saltem dies deuote visitauerint, & pro ipsorum fidelium ac totius populi Christiani salute pias ad Deum preces effuderint.

uderint. Igitur omnes, qui opera illa sufficienter perfecerint æqualem statim effectum Indulgentię Iubilæi formaliter consequentur. Quare verba Bonifacij VIII. extrauaganti citata, plus merebitur & ex parte operantis vel etiam potest dici efficacius consequi, nihil aliud esse quam certius & quantum est ex parte causę, cum maiori efficacia consequi eumdem effectum. Addunt aliqui fortasse voluisse Pontificem per illa verba aliquid noui concedere, quod tamen ab alijs Summis Pontificibus in suis diplomatibus non fit.


Probatur secunda pars, videlicet opus maiori Charitate per actum nihil ex parte piæ causę conferre, quamuis enim si fortasse opus iniunctum non sit sufficiens ad complendā causam Indulgētiæ adæquatam, tunc fieri possit, vt aliquis perficiendo illud, non obtineat totum Indulgentiæ effectum & consequenter vt alius maiori deuotione aut frequentia efficiens tale opus maiorem remissionem consequatur ac denique vt augendo bonitatem seu circunstantias operis, tandem habeatur totus Indulgentiæ effectus, hæc tamen inæqualitas non prouenit præcise ac formaliter ex inæqualitate operis, sed ex eo quod Indulgentia non habebat causam proportionatam, & adæquatam, ex vi solius operis, quod in ea præcisè requiritur: difficultas autem nostra procedit in præsenti supposita sufficiente causa, siue quod opus illud præcise factum prout in concessione postulatur & determinetur quantum ad quantitatem & modum, compleat sufficientem causam ad totam illam Indulgentiam concedendam, vt in Iubilæo contingit, & sic qui opera per illum iniuncta præcisè operatur, totum effectum consequitur, quia nihil illi deest ex parte omnium causarum neq; habet aliquod impedimentum, qui autem vel aliquid amplius vel illud ipsum melius aut deuotius persoluit non plus consequitur, quia totum illud quod addit, vt supponimus extra causam Indulgentię est, nec ratione illius aliquid amplius in bulla concessum est, licet fortasse concedi potuerit vt statim de Bonifacij Octaui diplomate adnotauimus.

Tertia pars quod tale opus non requiratur tanquam dispositio ex parte subiecti operantis, patet, quia si quis sit in statu gratiæ, & efficiat totum opus impositam iam habet totam dispositionem necessario requisitam ad fructum Indulgentię percipiendum, vnde licet alius plus laboris; deuotionis, aut operis adiungat nihil conducit ad maiorem aut meliorem effectum, quia neque illud totum iniunctum est, nec intuitu illius aliquid amplius promissum est, &

ita totum id non habet rationem dispositionis in quo est magna diuersitas inter effectũ Indulgentiæ, qui est remissio pœnę temporalis per applicationem satisfactionũ Christi, beneficio Indulgentiæ, & inter effectum Sacramentorum qui est gratia, cuius infusionem aut augmentum magis vel minus meremur secundum maiorem, vel minorem charitatis ac deuotionis intensionem.

Quarta pars tandem probatur, opus ad Indulgentiæ requisitum maiorique deuotione perfectum, non conducere ad vberiorem fructum, quia secundum se magis meritorium est, vel satisfactorium, si quidem ex D. Thoma in dist. 1. art. 3. quæst. 2. in Indulgentijs remissio non proportionatur labori, sed meritis quæ dispensantur.

Ex dictis facile colligitur resolutio plurium dubiorum; tantum videlicet de Indulgentia Iubilæi consequi vicinos qui proxime Ecclesiam v. g. D. Petri, Romæ morantur, quantum illi qui longe distant, atque ab Indis eo veniunt; tantum illos qui equites, quam qui pedites Ecclesias visitant, vt loco statim citato docet idem D. Thomas. Quamuis enim quoad meritum magis mereatur, qui plus laborat cæteris paribus, tamen quoad effectum Indulgentiæ, dummodo necessaria ad illam requisita adimpleat æque acquirit eã qui curru vel equo vehitur, atque ille qui suis pedibus vel Romam petit vel ecclesias visitat.




CON-

CONTROVERSIA XIII.

De conditionibus ſeu operibus neceſſarijs ad Iubilæi fructus efficaciter conſequendos.

CAPVT I.

De his quæ neceſſario ſeruanda ſunt vt Iubilæi fructus obtineatur & primo de peregrinatione Romana.



VATVOR ſunt neceſſario adimplenda ab eo qui ſacri Iubilæi fructum conſequi deſiderat, Primum vt in vigeſimo quinto anno in quo tempus ſacrum illud Iubilæi inciderit Romam ſe cōferat, niſi ibi fuerit. Secundum vt is omnium peccatorum ſuorum Sacramentalem confeſsionem faciat, eorumque veram pœnitentiam agat, tertium vt quibuſdam diebus quatuor Eccleſias vrbis in bulla præſcriptas deuote viſitet. Quartum & vltimum vt pias ad Deum preces fundat pro ſua totiuſque populi Chriſtiani ſalute, quę singula in ipſo Apoſtolico diplomate diſertis verbis exprimuntur.

Primum igitur vrbs petenda eſt non ea quidem ratione aut animo vt admiranda illius monumenta videantur, ſed principaliter ad Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas viſitandas, eorumque corpora humiliter veneranda, ac cęteras reliquias quę in vrbe religioſiſsime conſeruantur. Quamuis ſi quis Romam anno ſancto curioſitatis, recreationis litium, vel alicuius alterius cōmodi gratia principaliter etiam adiret non propterea tamen Iubilęi fructu priuaretur, cętera alia deuote adimplendo.

Imo neque eſt neceſſe ad conſequendam Iubilęi indulgentiam conficere peregrinationem illam pręmiſſa confeſsione, vel in ſtatu gratię, etsi enim tempus vltimi operis cuiuſmodi ſunt Eccleſiarū

visitationes per triginta vel quindecim dies secundum diuersitatem personarum habendę, requirat statum gratię, quoniam singulę illę sunt principales & vt proxima causa Iubilęi, vt sequenti Capite explicabitur, secus tamen dicendum est de causa remota & minus principali quæque veluti per accidens se habet ad effectum Iubilæi, talis autem est ex Bensonio lib. 5. de Iubil. cap. 15. peregrinatio Romana, vnde fideles non tenentur in statu gratiæ, illam peragere, quamuis melius esset, sed sufficit, si Romam peruenientes in statu gratiæ & confessi Ecclesias præscriptas deuote visitent.

Aduertendum est autem ita supradictas quatuor conditiones ad effectum Iubilæi in bulla requiri à fidelibus valentibus illas adimplere: vt tamen sine illis possint, aliqui Iubilæi fructum percipere iuxta eiusdem Bullæ tenorem. Cuius verba sunt. Et quoniam euenire potest, vt ex ijs, qui hac de causa iter aggressi fuerint, vel ad vrbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa vrbe, morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte præuenti præfinito dierum numero non completo, ac ne quidem fortasse inchoato, præmissa exequi, ac Ecclesiam & Basilicas huiusmodi obire nequeant, nos piæ, promptæque illorum voluntati quantum in Domino possumus, benignè fauere cupientes, eosdem verè pœnitentes, & cõfessos, prædictæ Indulgentiæ & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si Ecclesiam & Basilicas prædictas diebus à nobis præscriptis reipsa visitassent.

Quo priuilegio & fauore soli peregrini & exteri gaudent, non autem Romani & incolæ vrbis, vt cæptis visitationibus, si aliquo impedimẽto ne valeant illas perficere, infirmitatis nempe vel mortis præpediti sint, etiam si promptam, ac piam voluntatem habeãt, ac vere pœnitentes & confessi sint, Iubilæi beneficium consequi possint. Ratio autem huius diuersitatis assignari potest, vt benignius & facilius exteri ad peregrinationem suscipiendam excitentur, votum enim in hoc casu pro facto reputari debet, Cum à Papa pro facto ipso acceptetur. Vnde crederem ad prædicti fauoris ac priuilegij effectum requiri specialiter in illis qui in via præpediti Romam venire non possunt, vt Iubilæi consequendi gratia illam aggressi fuerint, id enim videntur sonare ac significare verba, vt ex ijs qui hac de causa iter agressi fuerint, tantum autem Indulgentiarum verba valent quantum sonant & significant.

Insuper existimo prædictum priuilegium lucrandi Indulgentiam Iubilæi speciali fauore concessum, his qui post iter ad vrbem huius

ius deuotionis causa susceptum impediti illam adire, vel Ecclesias visitare non potuerint, debere intelligi ex vi bullæ Indictionis Iubilæi: nam attendendo ad bullam die xij Februarij, 1650. à Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Decimo emanatam, quæ incipit Pontificia sollicitudo, virtute illius non solum Romani, sed etiam exteri omnes, qui ob clausuræ impedimentum, vt in sanctimonialibus & quamplurimis anachoretis, atque Eremitis, vel carcerationis, vel diuturnæ infirmitatis Romam venire non possunt, omnes & singulas Indulgentias & peccatorum remissiones consequuntur, æque ac si diebus ad id statutis quatuor ad id deputatas Basilicas & Ecclesias personaliter visitassent, adimplendo tamen aliqua pia Christianæ pietatis & charitatis opera, iuxta formam à superioribus prædictarum personarum, vel de eorum mandato à prudente confessario præscribendam.

Notandum est tamen ex vi prędictę bullę à Sanctiss. D.N.D. Innocentio Decimo concessę pro Monialibus Anachoretis, Eremitis, Carceratis, & Infirmis, ad prædictum Iubilæi effectum tanquam conditionem desiderari indubitatam voluntatem vrbem veniendi, præscriptasque in ea Ecclesias visitandi, si per ipsos aut ipsas respectiuè liceret nullaque essent talia Clausuræ, Carcerationis, & infirmitatis impeditamenta, itaut defectu illius voluntatis iubilæi fructus ab illis non obtineri putem. Etsi enim talis voluntas sit opus vere internum, potest tamen Summus Pontifex si velit, concedere Indulgentiam propter tale opus, si enim Pontifex ex communi Theologorum consensu potest concedere indulgentiam nullū opus iniungendo, multo melius id poterit propter opus merè internum, quia tunc etiā possunt concurrere omnia alia necessaria ad Indulgentiam & nihil additur quod ei repugnet. Quod enim obijciunt aliqui Ecclesiam non iudicare de occultis nec iurisdictionem habere in actus merè internos nullius est momenti ad præsens institutum, siquidem non iudicat de tali actu, nec proprie exercet iurisdictionem in illum, sed solum exigit illum vt conditionem necessariam ad effectum Indulgentiæ consequendum, quæ conditio potest esse mere interna quia non oportet vt de illa constet apud Ecclesiam, sed apud Deum.

CAPVT II.

Soluuntur multa dubia circa confessionem Sacramentalem in forma Indulgentiæ Iubilæi præscriptam.

PRo solutione multorum dubiorum, quæ circa hanc secundam conditionem occurrere possunt, distinguendum est primo de confessione, quatenus necessaria est ad gratiam, vel quatenus est pium quoddam opus quod postulari potest ad effectum Indulgentiæ. Supponitur hic tanquam certum non esse necessariam confessionem priori modo, vbi in forma Indulgentiæ non requiritur, sed sufficere statum gratiæ quacumque ratione comparetur, per quem iam est culpa remissa, & peccator factus est capax relaxationis pœnæ.

In forma ergo Iubilæi, quando dicitur verè pęnitētibus & confessis confessio requiritur quatenus est pium quoddam opus, conditioque necessaria quam iniungit Summus Pontifex ad lucrandum Indulgentiam, sicut enim potest exigere alia opera pietatis, & vsū Sacramenti Eucharistiæ ita & confessionis sacramentalis, cum in illa, vt per se patet, nulla sit specialis repugnantia, vel ratio ob quam non possit hoc modo postulari. Itaut secundum multos doctores, quando pœnitens non haberet aliam materiam magis necessariam, quam sola peccata venialia tunc adhuc ad effectum Iubilæi teneretur confiteri de illis, quamuis oppositum communiter teneatur sicut enim peccatum simpliciter dictum sumitur pro mortali, ita confessio absolute postulata intelligitur de Confessione mortalium nisi expresse & specifice contrarium declaretur, quod non fit in forma Indulgentiæ Iubilæi.

Dico secundo, eos qui confessionem generalem in Iubilæo non faciunt sed tantum particularem adeo vt dumtaxat confiteantur de ijs quę ab vltima confessione sua particulari commiserunt non desinere consequi Indulgētiam generalem pœnarum omnium suorum peccatorum, etsi enim confessio generalis qua recogitamus Deo omnes annos in amaritudine animæ nostrę sit saluberrima quędam dispositio a Iubilęi fructus vtiliter percipiendos, non requiritur tamen ex ui formæ illius, siquidem in bulla præscribitur

tan-

tantum confeſsio in genere, abſtrahendo in particulari & generali: Ideoque confeſsio particularis, ſi modo per eam ſuſcipiens in gratia conſtituatur, nec aliunde requiratur cōfeſsio generalis videtur capax recipiendi vniuerſalem fructum Indulgentiæ plenariç ſacri Iubilæi.

Diço tertio ex vi formæ Iubilęi, quę omnibus fidelibus vere pęnitentibus, ac confeſsis conceditur indulgentia plenaria, non eſse neceſsario præmittendam actualem confeſsionem, ſed tunc ſolum, quando interior pœnitentia quamuis vera ſit, non tamen perfecta, ſeu gradum contritionis attingens, cum enim huiuſmodi fuerit, ſufficiet confeſsio in voto. Quamuis enim ad omne dubium tollendum & ob difficultatem contritionis habendę ſit ſecurius, atque adeo conſulendum actualem confeſsionem pręmittere, ſi tamen de facto omiſsa fuerit, puto contritionem ſufficere, cum ſolo confeſsionis voto. Ratio eſt quia Summus Pontifex videtur ex gere ſolam confeſsionem quatenus neceſsaria eſt ad tollendum obicem, ſeu ad debitam diſpoſitionem Indulgentiæ, fiantque opera iniuncta in ſtatu gratię, ſed per veram contritionem cum ſolo confeſsionis voto, eo ipſo quod remittitur culpa mortalis, tollitur obex, fiuntque opera iniuncta in ſtatu gratiæ, igitur Summus Pontifex per illa verba Bullæ verè pœnitentibus & confeſsis, non requirit neceſsario actualem confeſsionem ſacramentalem, ſed ſolum quatenus ſi contritio fuerit imperfecta, non ſufficit ſine confeſsione in re ad ſtatū gratię, inqua tamen vult Pontifex fieri opera iniuncta ad Iubilęi fructum percipiendum.

Vnde etiam ſi ex natura rei non eſset neceſsarium, omnia ſemper opera iniuncta exequi in ſtatu gratię, vt ad effectum Indulgentię obtinendum valeant, de quo diſputabimus in vltimo huius Controuerſię Capite, ſecus tamen exiſtimo de operibus in bulla Iubilæi pręſcriptis, omnes videlicet Eccleſiarum viſitationes pręrequirere ſtatum gratię iam habitum per confeſsionem ſacramentalem in re ipſa; Quando contritio fuerit imperfecta, vel in voto, ſi illa perfecta fuerit, ratio eſt quia omnes illæ viſitationes apponuntur & pręſcribuntur a Pontifice, vt principalis cauſa, & opus principaliter intentum ad Indulgentiam conſequendam nec remote, vel minus principaliter ſe habent ad illam ſicut in particularibus Iubilęi, vbi plerunque ieiunia & eleemoſyna non proponuntur, vt principalia opera ad Indulgentiam comparandam, ſed ipſa ſumptio corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, menſque Pontificis

in

in eis expresse declaratur, ante sumptionem Eucharistię, vel in ipso triduo satis est confiteri. At in Iubilæo Anni sancti, confessionem vel in re, vel in voto, si contritio fuerit perfecta Ecclesiarum visitationi præmittendam esse, aperte significatur in bulla, ergo signum est manifestum Summum Pontificem velle, quod huiusmodi opera fiant in statu gratiæ, vt ad effectum Indulgentiæ Iubilæi obtinendum valeant. Idque rationabiliter & congruè. vitalis enim thesaurus qualis est thesaurus Indulgẽtiarum ex passionibus viuis Christi & Sanctorum constans, vitæque æternę impedimenta remouens, non nisi pro sola vitali causa erogandus erat, non autem pro operibus mortuis, cuiusmodi sunt opera extra statum gratiæ patrata. Deinde omnes illę visitationes sunt eiusdem ordinis, atque opera eiusdem operis, vnde æque ad fructum Iubilęi requiri videtur, si igitur vltima, quæ erit trigesima, vel decima quinta, necessario debet fieri in statu gratiæ cur non & aliæ, cum omnes, vt iam dixi, sint eiusdem generis & rationis, nec vna ordinetur ad aliam, sed omnes absque limitatione præscribantur tãquam vltimum opus principaliter iniunctum, & finalis dispositio ad fructum sacri Iubilæi consequendũ. Tandem incongruum & turpe quid videtur, vt quis debacchetur per Ecclesias, easque visitet toties in statu peccati mortalis, imo addendo plerumque peccata peccatis, & tandem ante vltimam visitationem confitendo peccata fructum Iubilæi cõsequatur; Igitur verba Pontificis in diplomate posita, omnibus vtriusque sexus fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam Lateranensem, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnõ Sanctæ Mariæ Maioris de vrbe Basilicas semel saltem in die per triginta continuos aut interpollatos dies, si Romani, vel Incolę vrbis, si vero Peregrini, aut alias externi fuerint, per quindecim saltem dies deuote visitauerint, & pro ipsorum fidelium ac totius Christiani populi salute pias ad Deum preces effuderint, plenissimã omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem ac veniã misericorditer in Domino concedimus & impartimur: verba inquam hæc, non solum sunt posita ad meliorem congruitatem modi loquendi, vt volunt aliqui, sed etiam ad significandum ordinem piorum operum agendorum itaut omnes pręmissa confessione Ecclesias visitare debeant in statu gratię.

Aduertendum est tamen ad omnes scrupulos remouẽdos, quod qui cœpit visitare Ecclesias in statu gratię, et deinde post quartam vel quintam visitationem et peccat mortaliter non tenetur illas

inchoar

nchoare, potest enim confiteri, & sic omnia opera facta prius in gratia iam vero per peccatum mortificata, reuiuiscent non solum quantum ad meritum, sed etiam quantum ad satisfactionem & consequentur, quantum ad dispositionem quo ad Indulgentias, secundum communem Theologorum sententiam ex illo Ezechielis 38. desumptam, (quacumque hora ingemnerit peccator amplius peccatorum suorum non recordabor, nec enim necesse est in nostra sententia ad Iubilæi consecutionem, vt nullum peccatum mortale committatur toto tempore anni sacri, vel visitationum Ecclesiarum, quamuis laudabile valde sit ab illis abstinere sed solum quid huiusmodi visitationes omnes præmissa semper confessione fiant in statu gratiæ, si per aliquod peccatum uerit interruptus.

CAPVT III.

Aperiuntur multa dubia circa Ecclesiarum visitationem orationemque in eis faciendendam occurrentia.

TErtia & quarta Conditio in litteris indictionis anni Iubilæi ad eius effectum prærequisita, est vt ipso Iubilæi anno durante omnes vtriusque sexus Christi fideles Ecclesiam Lateranensem Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, necnon sanctæ Mariæ Maioris de vrbe Basilicas semel saltem Indie per triginta continuos aut interpellatos dies, si Romani, vel incolæ vrbis; si vero peregrini, aut alias, externi fuerint per quindecim saltem dies deuote visitent, ibique pro ipsorum fidelium ac totius Christiani populi salute pias ad Deum preces illundant.

Et si enim olim sola Beati Petri Basilicæ ad effectum Iubilæi celebrata fuerit, Bonifacius tamen octauus addidit quoque Basilicam beati Pauli visitandam esse, deinde Clemens VI. in secundo Iubilæi ab ipso celebrato 1350. Ecclesiam Lateranensem vltra supradictas Apostolorum visitandam voluit ab his qui sacri Iubilæi beneficium consequi vellent, tandem Gregorius XI. in tertio Iubilæo,

bilæo, quem 25. anno subsequenti celebrauit Basilicam quoque Beatissimæ Mariæ Virginis quæ ad præsepe dicitur vltra prædictas, iniunxit visitari, qui numerus a nullo subsequentium Pontificum est mutatus: neque id temere ordinatum fuisse Credendum est sed sapientissime, tum ad laborem peregrinationis augendum ex quo satisfactio & meritum magis crescit, tum etim quia dictæ quatuor Ecclesiæ Patriarchales sunt, insignesque in ijs reliquiæ asseruantur, vnde tanto honore in anno Iubilæi merito dignæ fuerunt quæ ab omnibus Christi fidelibus deuote visitarentur.

Iuxta antiquissimum autem morem, vt ex prima bulla Iubilæi quæ a Bonifacio octauo edita fuit conspicere licet, præscribitur, vt supradictæ quatuor Basilicæ in anno Iubilæi triginta ad minus diebus continuis vel interpellatis visitentur à Romanis vel incolis vrbis, quindecim vero à peregrinis aut externis, tum vt ex frequenti ac repetita illa visitatione, sancti Maiori cumulentur honore, gloria accidentalis accrescat studium atque imitatio eorum in animis fidelium augescat, & quasi geminato tributo duplicataque oblatione debita in illos seruitus repræsentetur, quæ est ratio Bonifacij loco statim citato: Tum etiam vt debita inter effectum & causam proportio seruetur, vnde cum enim effectus indulgentiæ Iubilaris sic maximus qui in hoc genere potest esse, requirebat etiam opus valde arduum, maxime pœnale & laboriosum, quale esse, tam frequentes dictarum Ecclesiarum multum inter se distantiam visitationes: Nemo qui sano iudicio rem perpendat negare potest. Peregrinis tamen & externis onus dimidiatum, respectu Romanorum, in visitatione Ecclesiarum iure optimo fuit injunctum tum ob innumeros labores, sudores, incommoda pericula, impensas grauesques alias molestias primo ab ipsis in itenere perpessas, tum etiam ne diutiùs in vrbe morando grauioribus iterum impensis grauentur. Vnde Ioannes de Arcania in suo tractatu de Iubilæo refert Nicolaum V. qui Celebrauit Iubilæum anno 1450. propter maximam multitudinem hominum Romam occurrentium, multoties etiam abbreuiasse numerum quindecim dierum, distinguendo etiam Vltramontanos a citra montanis & aliquando reduxisse ad quinque dies, aliquando ad tres, & aliquando ad duos.

Verum supposito qnod ad Iubilæi effectum per quindecim dies solum externi & peregrini, Romani vero & vrbis incolæ per triginta

ginta quatuor Ecclesias visitare debeant, inquiret aliquis, qui appollandi sint externi & peregrini & qui Romani, & Incolæ. Respondeo breuiter nomine Romanorum & eorum qui vrbem Incolunt, illos duntaxat intelligendos esse, qui perpetuo, vel saltem per longum tempus habitationem & domicillium in vrbe habent, siue origenarij, siue aduenæ sint & siue habeant animum perpetuo in vrbe commorandi siue non illud autem longum tempus vel annus, vel ad minus medietas eius intelligi debet, vnde omnes illi tenentur ad trigesies visitandum Ecclesias, iuxta Nauarrum in commentario Iubilæi, sicut & omnes Curiales seu in Curia manentes, Cardinales, Episcopi, qui ad tempus incertum manent in vrbe animo ab ea discedendi, Procuratores, Aduocati, alijque Curiæ officiales: ij enim omnes non vere peregrinantur; neo vere sunt forenses, sed vt moraturj in Curia ad Vrbem accedunt.

Sine vllo autem solido fundamento Bensonius lib. 5. de anno Iub. cap. 15. dub. 4. existimat Romanum non habitantem in vrbe, sed alibi, Romam tamen venientem Iubilæi consequendi gratia teneri visitare Ecclesias trigesies, sicut si Romę degeret: sed ex communi Theologorum consensu Nauarri, Peregrini, Hieronymi Gratiani, Santarelli, & aliorum sufficit, quod id præstet per quindecim dies, cum inter peregrinos sit vere computandus ille talis. Et quamuis maior sit difficultas, quando Romanus aliquis in alicuius loci gubernatorem proficisceretur, vel etiam studiorum gratia, postea vero Romam veniret ad consequendum Iubilæum rursum in eumdem vnde decesserat locum rediturus; nihilominus probabilius ex ijsdem authoribus illum quindecies visitando Ecclesias satisfacere, cum deuotionis gratia Romam tanquam peregrinus & viator ad Iubilæum venerit animo discedendi statim ab illa post Indulgentiam comparatam.

Nomine ergo peregrinorum & externorum seu forensium videntur in bulla significari omnes illi qui non solum peregrinationis, sed etiam litium, aut studiorum causa in vrbem se recipiunt, vt statim recessuri, siue sint Romani, siue aliunde oriundi dico vt statim recessuri, quia si per longum temporis interuallum in ea permansuri essent, quod vltra integrum Iubilæi annum debet esse vel alius annus vel ad minus medietas eius, iuxta doctrinam Nauarri, tunc per triginta dies Ecclesias visitare tenerentur.

Hieronymus Gratianus Iubil. parte 2. cap. 12. inter peregrinos

etiam, & externos annumerat omnes illos, qui extra Romam habitant, etiamsi duobus tantum ab ea milliaribus distent, quique relicta domo, ac familia Romam se conferunt Iubilæi consequendi gratia, & ad propria statim illo comparato reuertuntur. At si Romanus in aliqua sua villa, tribus etiam aut quatuor milliaribus à Roma distante habitaret, indeque singulis diebus Ecclesias visitaret, vix esset ille talis censendus peregrinus aut externus, sed verus adhuc Romanus, & Vrbis Incola qui proinde teneretur ad trigesies visitandum Ecclesias, eademque lege obstrictos puto omnes religiosos Romæ inhabitantes suamque in ea conuentualitatem habentes.

Quamuis autem dies visitationum Ecclesiarum possint diuidi & interpollari in susceptione Iubilæi;(neque enim est necesse quindecim, vel triginta diebus continuis eas adire) hæc tamen diuisio nullo pacto est admittenda in Ecclesiarum visitationibus, nisi quis specialiter in hoc à Summo Pontifice dispensetur, sed debent omnes quatuor Ecclesias eodem die visitare; verbaque illa quæ solent apponi in bulla, qui quatuor Ecclesias semel saltem in die deuote visitauerint, illum germanum, & certum sensum reddunt, vt aditio earum quatuor Ecclesiarum in die vno semel fiat, nec enim dicitur in diebus, sed in die, & in textu diplomatis non conceditur alia interpolatio nisi dierum, nequaquam vero visitationum Ecclesiarum, vnde sicut duæ itinerationes eodem die factæ ad Ecclesias præscriptas non computantur pro duorum dierum visitationibus; ita nec diuisæ illæ itinerationes, distinctis diebus factæ numerari debent pro vnius diei visitatione. Diuersis tamen vnius, & eiusdem diei horis interpellatis: possunt fieri huiusmodi visitationes parumque refert an de die an de nocte, cum tempus tam nocturnum, quam diurnum sint veræ partes integrales eiusdem anni sacri, eiusdem diei naturalis acceditque fidelium praxis & consuetudo, qui vt refert Viualdus in tract. de Indulg. in Iubilæi anni sancti 1575. etiam nocturno tempore Ecclesias, & altaria visitabant.

Similiter si quis Ecclesiam comparando Iubilæo præscriptam ingredi nequeat, sufficit quod ad eius ianuam orationes suas fundat ex Francisco Rodriguez cap. 3. de Iubil rationabiliter enim præsumitur talem esse Summi Pontificis voluntatem, & si quis ad Ecclesiæ Ianuas oret, moraliter putatur id in Ecclesia facere. Sæpeque occurrit Romæ summo mane nondum esse apertas Ec-

clesiæ

clesiæ portas & qui tamen ad illas orant communiter reputantur Iubilæi beneficium consequi. Quamuis opinentur aliqui alij doctores necessarium ad hoc esse physicum, & realem in Ecclesiam ingressum Rodericus in summa 1p.cap.184. Suarez tom.4.de pœnitentia disput 24. sect.2. Fillucius tomo 1.tractatu 8. cap.6. q.3. & alij.

Tandem licet Iubilæi Indulgentiæ nihil prosint illi qui per seipsum non accedit, sed mittit alium ad Ecclesias visitandas, siquidem in bulla clare habetur requiri tam quo ad peregrinos, quam quo ad Romanos personalem industriam propriæ scilicet personæ laborem in peregrinando, vel visitando Ecclesias præscriptas, nisi legitime fuerint impediti, vt Cap.1. huius Controuersiæ explicuimus, nihilominus Cordub. quæst.21. de Indulg. Gregorius de Valentia lib. de Indulg. cap.7. & alij communiter existimant contra Syluestrum, Iubilæi Indulgentiam & etiam quamcumque acquiri posse per Ecclesiarum visitationes alioquin debito, vel ex voto, vel ex alia quacunque necessitate, cum enim Indulgentia concedatur generaliter ob opus pium quod in Dei gloriam, Ecclesiæque vtilitatem cedat, si quidem hoc sufficit, vt secundum Christi, & Sanctorum intentionem Ecclesiasticos thesauros fideliter dispensari dicatur, non est cur negari possit, per opera alias debita dari, vel acquiri Indulgentiam: vnde etiam Summi Pontifices in particularibus Iubilæi solent aliquando inter ieiunia, quæ iniungunt, etiam ieiunia alias debita connumerare, vt quatuor temporum, vigiliarum, & etiam Quadragesimæ; Igitur à simili dicendum est visitationes illas Ecclesiarum, quæ ex pręcepto, vel necessitate alias perfici deberent posse quoq; comparari, & suffragari ad Iubilæum consequendum. Sic Canonicus v.g. qui ratione distributionum tenetur Ecclesiam S.Petri, aut aliam ex quatuor adire potest quando tempore obligationis accedit illum actum referre in numerum earum visitationum, quæ ad suscipiendam Iubilæi Indulgentiam requiruntur. Idemque asserendum de illis, qui votum, aut in pœnitentiam à Sacerdote iniunctam habent peregrinandi Romam, & visitandi septem Ecclesias.

Quod spectat ad orationem, quæ est quarta conditio in bulla Iubilæi requisita, sufficit ad effectum Indulgentię quæcunque oratio deuote facta, pro ipsorum fidelium, ac totius Christiani

populi

populi salute, nec est necesse in singulis quatuor Ecclesijs septem, aut plura visitare altaria, aut ad ea preces fundere quamuis id sit consultissimum. Nec etiam requiritur ad effectum Iubilęi quod quis visitaturus Ecclesias per portam Sanctam ingrediatur, cum hæc conditio in bulla non apponatur.

CAPVT IV.

Quomodo sit eleemosyna facienda quando in forma Indulgentiæ præscribitur.

ETSI in forma Indulgentię Iubilæi non requiratur per modum conditionis eleemosyna, quia tamen in aliquibus alijs Iubilęis, quos pro diuersis Ecclesiæ necessitatibus concedunt Summi Pontifices, solet aliquando præscribi, vt in ijs qui conceduntur in fauorem fabricæ ædificandæ, vel pro redimendis captiuis apud Turcas, & infideles, aliqua breuiter attingam circa hanc conditionem.

Dico ergo primo, quando in forma Indulgentiæ indefinite præscribitur, aut iniungitur aliqua eleemosyna, sufficit ad implendam conditionem, & formam indulgentię, atque adeo ad totum eius effectum, quęlibet eleemosyna, etiam minima, concurrentibus omnibus alijs conditionibus. Ratio est quia illa cōditio Eleemosynę indefinitæ proposita, per quamlibet Elemosynam etiam minimam simpliciter, & in toto rigore impletur; Si quidem vt aiunt dialectici, ad veritatem indefinitæ, quęlibet singularis sufficit; Igitur per tenuem eleemosynam coniunctam cum alijs operibus pręscriptis poterit quis Indulgentiam lucrifacere, nam voluntas concedentis Indulgentiam sub conditione eleemosynę indefinitę, licet conditionata sit, tamen expleta conditione, transit in absolutam estque omnino efficax, quia ex sufficiente potestate, & causa procedit vt supponimus; ergo operatur totum quod per talem concessionem promissum, seu daclaratum

ratum est, & hoc debet intelligi tam respectu diuitis, quam pauperis, quotiescumque forma Indulgentiæ est simpliciter vnica, in eaque describitur eleemosyna indefinitè & absolutè, tunc enim relinquitur voluntati & deuotioni vniuscuiusque.

Dixi quotiescumque forma Indulgentiæ est simpliciter vnica, & indefinita, quando enim in specie verborum ita apparet vnica, & indefinita, vt tamen in virtute & sensu sit multiplex includatque plures quantitates proportionales respectu diuersarum personarum, iuxta earum qualitatem, seu facultatem, tunc ad effectum Indulgentiæ necessarium puto cum D. Thoma in 4. distinct. prima, artic. secundo, quæstione tertia ad 3. quod vnusquisque iuxta facultates suas maiorem, vel minorem eleemosynam eroget; Ita tamen vt, si diues intra suam proportionem attingat saltem minimam quantitatem, id sufficiat ad totam Indulgentiam lucrandam, quia simpliciter implet conditionem ab eo postulatam, & si enim auxilium requisitum à diuite maius sit quam postulatum à paupere, tamen intra latitudinem auxilij à diuite petiti, aliquod est nimium respectu illius, aliud vero maius, vel maximum, & idem est proportionaliter in paupere, quamuis fortasse secundum absolutam quantitatem, minimum auxilium diuitis maius esse debet, quam in paupere possit esse maximum. Sufficit igitur ad fructum Indulgentiæ, quod tam diues, quam pauper distribuat intra suam proportionem saltem minimam quantitatem; Si enim vterque tam paruum auxilium tribuat, vt non attingat minimam quantitatem sibi proportionatam: nihil omnino de Indulgentia comparāt, quia simpliciter non implet conditionem in forma Indulgentiæ requisitam respectiue intellectam, ptout intelligenda supponitur; Indulgentiæ autem tantum valent quantum sonant; Ita ex Suarez disputatione 5. 2. sectione 8.

CAPVT

CAPVT V.

Vtrum consecutio Indulgentiæ Iubilæi mensuretur secundum exequutionem operis præscripti, ita vt detur pars Indulgentiæ, adimplendo partem operis præscripti, integra vero quando totum opus integrè adimpletur.

CIrca præsentem difficultatem vnum est certum, aliud vero cõtrouersum apud Theologos, certum est neminem posse totalem Iubilæi fructum percipere, nisi opera in eo præscripta diligenter exequatur verbi gratia trigesies, vel quindecies quatuor Ecclesias deuote visitet. Ratio est quia Indulgentia Iubilæi, sicut & alia quæcumque non amplius valet, quam sonat, cum solum operetur iuxta voluntatem concedentis expressam per formam Bullæ: Illa autem concessio ex vi formæ conditionata est siue sit sub conditione tot visitationum Ecclesiarum piarumque in eis precum fundendarum, & ideo non impleta tali conditione totum saltem & adæquatum effectum habere non potest. Nisi in ipsamet concessione contrarium exprimatur aut sub alia forma seu conditione idem Indulgentiæ effectus personis impeditis tribuatur, vt supra Cap. 1. huius Controuersiæ adnotauimus.

Neque enim est verum in huiusmodi rebus, voluntatem pro facto reputari, cum conditio postulata non sit semper voluntas, sed re vera opus ipsum perfectum, solumque in ratione meriti, & in ordine ad præmium essentiale veritatem habet illud axioma: quia tota ratio meriti, totusque valor eius à sola voluntate formaliter dependet.

Quod ergo controuertitur, est an is, qui partem iniuncti operis implet, aliquid de Indulgentia, consequatur secundum aliquam proportionem, vt verbi gratia Romano aut vrbis Incolæ visitandi trigesies quatuor Ecclesias, peregrino vero, vel externo quindecies, datur plenaria Indulgentia, & aliquis illorum semel tantum, aut bis, & illas visitat, an saltem consequatur remissionem

missionem

missionem trigesimæ vel quindecimæ partis peccatorum & sic secundum proportionem.

Pro parte affirmatiua posset argui, quod sicuti se habet in concedente Indulgentiam Iubilæi, ita & in lucranti, sed in illo casu quo Summus Pontifex sine iusta & proportionata causa concederet Iubilæi indulgentiam, talis Indulgentia, licet superflua, seu melius superexcedens, valeret quantum ad aliquem effectum proportionatum causæ; Ergo etiam à pari lucraturus Indulgentiam adimplendo partem operis partialem effectum illi proportionatum obtinebit; & si enim talis pars operis sit inadæquata toti Indulgentiæ, nihilo minus tamen est adæquata parti eius.

At in contrarium est communis Theologorum consensus. Igitur nisi hoc ipsum in Indulgentiæ concessione exprimatur, sicut re vera in bulla Iubilæi non exprimitur, dicendum est, non ea proportione qua quispiam exequitur opus in ea iniunctum fructum Indulgentiæ comparare, fundamentum est quia concessio conditionata, qualis est ea Iubilæi omniumque aliarum Indulgentiarum nihil quidquam prodest, nisi impleta conditione; cum ergo conditio sub qua Indulgentię Iubilęi conceduntur, est vt detur ei, qui opus præscriptum in concessione adimpleuerit, ita vt ex vi illius nihil ei promissum fuerit qui solam partem implet, certum est nullum reportari fructum illius, donec totum opus fuerit adimpletum.

Vnde ad rationem dubitandi in principio] allatam. Respondetur negando paritatem in maiore allatam; In tantum enim, si causa est insufficiens ad totum Indulgentię effectum, tota concessio non est nulla, sed ad aliquem effectum partialem causę proportionatum valet, quia hoc pendet absolutè à voluntate concedentis, quoad hoc sine dubio facultatem habentis. Quod autem in casu posito, voluntatem habeat, patet quia vult concedere quantum potest, nam si vult & tentat concedere plusquam posset a fortiori vult facere quantum potest: potestatem effectum tali causę proportionatum & adæquatum efficere. At respectu lucrantis voluntas concedendi Indulgentiam est merè conditionata, scilicet sub conditione talis operis, & ideo si conditio non impleatur nihil operatur. Implere autem partem operis, non est implere conditionem, cum, vt supponimus, nihil sub ea conditione promissum sit, sed sub conditione totius operis, vnde nihil refert, quod illa pars operis sit proportionata parti Indulgentię, nam

hęc proportio nihil sufficit sine voluntate concedentis. Alias etiam fieri posset partem operis esse proportionatam toti Indulgentiæ, verbi gratia in illo casu, quo opus postulatum esset excedens; tunc enim lucraretur quis totam Indulgentiam, propter solam partem operis, quod sine controuersia falsum est. Et vnica ratio est quia deest voluntas concedentis, & sicut voluntas non sufficit sine causa, ità neque causa sine voluntate, & effectus sine vtraque obtineri non potest.

Sed inquiret aliquis quid si ex opere iniuncto pars tantum minima prætermittatur, vt si verbi gratia ex triginta vel quindecim Ecclesiarum visitationibus relinquatur vna solum Ecclesia visitanda: Respondeo breuiter rem esse dubiam atque adeo vitandam, tamen probabiliter dici potest, non impedire effectum Indulgentiæ, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur. Et quia non obstante illo leui defectu simpliciter verum est tale opus iniunctum fieri, & si daretur præceptum de illo; simpliciter verum esset per simile opus impleri tale præceptum talis enim vnica visitatio prætermissa non solum absolutè, sed etiam respectiuè videri materiam leuem, quia si quis ex triginta, vel quindecim diebus quibus quatuor Ecclesias visitare debet, vnum prætermitteret diem, talis prætermissio, saltem respectu totius operis iniuncti esset magna pars, licet in se parua videri posset; vnde in tali casu putarem Iubilæi fructum non obtineri, sed solum in illo quo vnica vnius Ecclesiæ visitatio inter tot omitteretur.

CAPVT VI.

An sit necesse, per se & ex natura rei loquendo exequi in statu gratiæ opera in Bulla Iubilæi iniuncta.

PRo intelligentia difficultatis notandum est in acquirenda Iubilæi Indulgentia duo debere tempora distingui, vnum est in quo fiunt opera ad talem Indulgentiam consequendam, requisita; alliud est punctum illud temporis in quo Indulgentia consummatur, & effectus illius confertur. Conueniunt omnes Theologi

gratiam

gratiam saltem esse necessariam pro hoc secundo tempore cum ex dictis supra sit dispositio indispensabiliter necessaria ad effectum Indulgentiæ, difficultas ergo procedit de primo tempore.

Secundo necessarium est, vt huiusmodi opus visitandi Ecclesias, aut ieiunandi propter quod Indulgentia Iubilæi conceditur, procedat ex gratia auxiliante saltem imperatiue & remote. Eo enim ipso quod huiusmodi opus fieri debet ad lucrandam Indulgentiam, quod non fit sine aliquo dictamine & voluntate à fide procedente, videtur saltem imperatiue & remote necessarium esse aliquid auxilium gratiæ ad tale opus exequendum modo accommodato ad Indulgentiam acquirendam.

Tertio supponunt omnes tutius multo esse totum opus præscriptum in gratia perficere: Et si enim probabile sit Indulgentiam aliter acquiri posse, satisque posse, si in vltimo actu homo sit in gratia, vt statim dicemus ad mentem primæ sententiæ: hoc tamen propter varietatem sententiarum, non est vndequaque certum: Ideoque semper tutius est se in gratia constituere, antequã opus præscriptum inchoetur. Res ergo controuersa inter Doctores est, num per se & ex natura rei loquendo sit necessarium, quod opus ad Indulgentiam prærequisitum fiat in statu gratiæ. Dixi per se & ex natura rei, quia si tale opus in eodem tempore fiat, in quo Indulgentia consummatur, tunc omnes concedunt propter concomitantiam esse necessariam gratiam, quando tale opus fit non tamen formaliter ac per se propter ipsum opus.

Prima sententia quæ est Paludani in 4 distinct. 20. quæst. 4. art. 2. Soti distinct. 21. quæst. 2. art 3. Suaresij 3. parte disput. 52. sect. 5. & aliorum plurium, asserit non esse necessarium per se & ex natura rei, quod opus præscriptum, in statu gratiæ adimpleatur, sed sufficeret, vt qui illud adimplet tempore susceptionis Indulgentiæ sit in gratia, v. g. in nostro casu, quindecim vel triginta dies iudicantur pro visitandis aliquot Ecclesijs, etiamsi quatuordecim vel viginti nouem diebus fuerit quis in statu peccati dummodo decimo quinto, vel trigesimo die quo sunt suscipiendæ Indulgentiæ, sit in gratia, Indulgentiam infallibiliter suscipiet. Quę sententia est valde probabilis, tum propter authoritatem, & numerum authorum qui illam sequuntur; tum etiam propter sequentes rationes, cum enim ante omne opus à Pontifice præscriptũ, non detur ex facto Indulgentia, si tunc quis inueniatur in gratia, nulla est ratio, cur effectu ipsius Indulgentiæ priuetur. Deinde

etiamsi huiusmodi opera extra gratiam facta, non sint meritoria, aut satisfactoria de condigno; possunt tamen esse impetratoria apud Deum, possunt etiam disponere hominem saltem remote ad relinquenda vitia & gratiam impetrandam, maxime si fiant ex auxilio gratiæ proxime, & immediate quod sufficit ad hoc vt dicantur esse aliquo modo vtilia concurrantque per modum solius conditionis sine qua non ad effectum Indulgentiæ, conditio enim sine qua non potest, tempore præcedere ipsam applicationem sicut & statum gratiæ in persona, cui fit Indulgentiarum applicatio, cum etiam possit dici, per illam partem operis quæ facta est in peccato, non applicari proprie satisfactiones Christi, & Sanctorum, sed tantum per vltimam, quam perficiendo sumus in gratia, vt supponitur.

Nihilominus Caietanus opusculo 10. quæst. 2. & Petrus Sotus sect. 3. de Indulgentijs oppositam sententiam non minori probabilitate defendunt, etsi enim opus illud præscriptum, sit tantum conditio sine qua non, & non causa efficiens ipsarum Indulgentiarum, hæc enim causalitas est penes satisfactiones Christi, & Sanctorum, & applicatio illarum penes Pontificem thesaurum aperientem, nihilominus ipsa conditio & persona eam adimplēs debet esse Deo accepta, vt in vi illius obtineatur infallibiliter effectus, non autem mortua, Deoque exosa opus enim mortuum non potest viuas Christi, & Sanctorum satisfactiones nobis applicare.

Inter has duas sententias mediam quamdam viam teneri debere probabilius existimo, pro cuius explicatione sequentes Conclusiones pono.

Quando opus præscriptum factum in peccato æque confert ad finem propter quem conceditur Indulgentia ac factum in gratia, non est necesse opus ipsum fieri in statu gratiæ: vt patet in Iubilæis particularibus concessis omnibus cooperantibus ad ædificationem alicuius templi, redemptionem Captiuorum, & bellum contra Infideles; hanc conclusionem damus primæ sententiæ, illamque sufficienter probant argumenta pro ea allata; Imo probabile etiam puto; quando opus factum in peccato mortali confert quidem ad finem concessionis Indulgentiarum, quamuis non ita perfecte ac si fieret in gratia, eo etiam casu Indulgentiam obtineri, vt quando in forma Indulgentiæ præscribuntur ieiunia, tunc enim videntur solum se habere per accidens, & tanquam dispo-

dispositiones remotæ ad effectum Indulgentiæ.

Dico secundo opus præscriptum debere fieri in gratia, quando extra gratiam factum nihil ad finem Indulgentiæ iuuaret; v. g. finis Indulgentiæ est placare Deum, & auertere iam ipsius effundendo preces pro salute totius populi Christiani, tunc necesse est opera præscripta & iniuncta, in statu gratiæ perficere. Hæc Conclusio est ad mentem secundæ sententiæ, quam veram puto: Si quidem non possumus placare Deum, & auertere iram eius a nobis, totoque populo Christiano, quandiu in peccato mortali versamur; vnde cum hic sit finis in Anno Iubilæi principaliter propositus, existimo opera in bulla ipsius imposita cuiusmodi sunt Ecclesiarum visitationes, & in illis fundendæ preces, omnino fieri debere in statu gratiæ, alias non sunt apta ad finem Indulgentiæ efficaciter promouendum ad quem tamen postulantur.

Si dicas ex hac opinione sequi, paucos esse ex communi plebecula qui ipsas Iubilæorum Indulgentias consequerentur. Respondeo libenter id esse verum non solum respectu communis plebeculæ, sed etiam optimatum, defectu debitæ præparationis ac deuotionis, quod etiam fuit aliquando Sanctis Dei viris reuelatum.

Superesset hic breuiter agere de suspensione Priuilegiorum, & Indulgentiarum pro viuis tempore Iubilæi anni sancti fieri solita; necnon, & de facultatibus, quæ vicissim in eo conceduntur in ordine ad absolutionem a casibus reseruatis, votorum commutationem, aut dispensationem, &c. verum cum hæc omnia potiori iure ad doctrinam moralem, quam ad scolasticam aut speculatiuam pertineant, libenter ab illis super sedeo, remittendo Lectorem ad innumeros pene Doctores, qui iam huic materiæ fæliciter insudarunt.

LAVS DEO.

